BIBLIOTECA NAZ.^LE
XXIX
A
46
NAPOLI

Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIX
A
46
NAPOLI

# TRACTATUS NOVUS
## *De Generatione ex*
# OVO:

Nec non de

## *MONSTRORUM*
PRODUCTIONE;

## Duabus Epiſtolis
*Comprehenſus.*

*AUCTORE*
DIONISIO vander STERRE,
*Med. Doct.*

Di Gennaro Giannelli

*AMSTELODAMI*,
Apud *Cornelium Blancardum*, in P[illegible]
de Warmoes-ſtraat over den Niſ[illegible]

Ad

# *LECTOREM*

# BIBLIOPOLA.

ANte deceſſum Clariſſ. ac Doctiſſ. Viri DION. *vander* STERREN in Americam, dedit hos Tractatus Author Fratri meo, ea lege ac conditione, ut quam primum luci exponeret; Dictum factum, ilico data occaſione, prelo commiſi.

Lector, quæſo, elegantem Stylum non advertat, cum Author ea volante calamo conſcripſit: rem potius perpende. quæ hactenus in Democriti puteo diu latuit. Quæ damus, in otio fruere, Vale.

*Tuus Officioſiſſimus*

*Corn. Blancardus.*

# EPISTOLA

*De*

Generatione

# Ex O V O,

*Ad Virum Clariſſ. Doctiſſ.*
*& Celeberrimum*

THEOD. CRAANEN,

Phi. & Med. Doct. Olim Lugduni Batavorum Med. Prof. Ord. nunc vero Ducis Brandenb. Archiatrum, Conſiliarium &c. Conſcripta.

# TRACTATUS
## De
# GENERATIONE
## Ex OVO.

---

*Notum eſt*, CLARISSIME VIR,

Quod non tantum herbę quędam earumque radices divulſæ & in partes ſciſſæ creſcunt, & multiplicantur ſi terrae aliove apto loco mandentur: ſed & arborum aliquarum rami & radices: quamquam etiam tam arbores quam plantæ ex ſeminibus, animalium ovorum aemulis, oriantur vel producantur. Multi etiam terrei tales fætus, nullo conſpicuo ſemine procreati, quaſi ſpontaneum ortum habere dicuntur: quia diverſis in locis naſcuntur, tur, diverſæ ſtirpes vel Herbæ, in terris, ex ipſis terræ viſceribus erutis: quibus terris probabili ratione concludi poteſt, nonquam

I, CAP, *Herbæ arbores ex Ovis Creſcunt, licet vario etiam modo aliter.*

quam vel caſu vel expræmeditato ſeminaria talia ova vel particulas divulſas mandatas fuiſſe: etſi unquam ante multos & millenos vel plures forte annos, terris iſtis, ea permiſta fuiſſe, quis velit, illa forent corrupta. Et peti merito poſſet ab iis quare ex ſimili terra ſemper ſimiles plantæ & non aliæ ſuapte ſponte excreſcant.

---

II. CAP. *Vt & animalia & inſecta.*

SIc etiam licet animalium pars maxima ex ovis, quæ plantarum ſeminibus correſpondent, generantur vel producuntur: tamen etiam quandoque quædam animalia nullo conſpicuo ſeminis ratione producta, quaſi ſpontaneum ortum habere dicuntur.

---

III. CAP. *Sed diverſitatis cauſam non intendo determinare.*

UT ut hæc res ſe habet, non duco hujus loci, omnium iſtarum mutationum & animalculorum generationem determinare licet tanquam pro aris & focis dimicaturi, ſummo ardore quidam philoſophi & medici, de hac re differentes, diverſam in partem inclinent, varias ob cauſas & rationes; & prout magis gratè ab auctore ſibi magis complacente

te deponi ſciant: necleum ſe nactos putantes, cortices & ſiliquas vix obtinentes; aliorum etiam placitis, ſine ullo veritatis proprio delectu, ſeſe mancipio dedentes.

*Hominis initia determino procedere ex ovis aura ſeminali ſuſcitata.*

Hominis productio procedit à *Deo*, qui Adami eſt & productor & creator. Ex *Adamo Eva*, ex his duobus nos omnes. Non abſimili quam modo, cætera animalia ex ovo. Mater producit ova, ſicut terrea ſemina. Calore ſolis patre (ejuſque aemulo) ſuſcitantur ſemina vel ova herbarum: ſic aura ſeminali maris, matris ova fæcundantur (nam ut humidum terræ vel matris, calore ſolis patre vel mare alteratum ſeminibus terræ mandatis ſubintrando, germini dat expanſionis initium, cujus expanſionis gratia cogitur poros intrare ad germen deducentes, quod hinc expanſum creſcere dicitur. De variis quæ tunc ſimul concurre debent non loquor) ita ut ab aura ſeminali patris vel maris habeat germen matris quod ſibi intrudi poſſit humoris tantum, quantum ad ſat magnam & ſufficientem expanſionem egeat. Ut alibi latius expoſui de generatione diſcerens.

*Et matris humore extenſa.*

Per arterias ad uterum gravidæ animantis, protruditur, à corde matris ſanguis: abibi

protruſo ſanguine, per quaſdam uteri vaſorum capillarium extremitates, fibrarumque interſtitia, fugit (vel ut clarius moderni exhibent) ſe extendendo ſibi ſuiſque convolventibus membranis, intrudit aliquas ſegregatas vel ulterius progredi potentes particulas (quæ ſucci nomine à nobis appellantur) fætui alendo aptas, quibus particulis vel quo igitur ſucco intra uterum depoſito, inque membranis deducto vel confluxo vel compulſo, refluit reſiduus matris ſanguis, per venas (dum & lympha per lymphatica) ad cor matris.

*Nam aura ſeminalis ſuſcitat ovorum rudimenta.*

In *Genitura* virili viget unde fæcundum fit ſemen vel rudimentum: nempe calorem & motum ſuſcipit. Forte etiam, unde matris ſanguis (per ſe certo tempore vel quibuſdam additis magis etiam aptatus) ſuſcipit peculiare *fermentum*.

*Non abſimilis fuit opinio quorundam veterum de productione hominis.*

Antiquitus Philoſophi expoſuerunt ut & inter illos *Stoicorum Princeps* opinatus eſt, una cum genitura animam avelli & exilire. *Epicurus* dixit eam genituram, corporis & animæ eſſe detractam partem: mutuatus eſt hoc à *Democrite*, qui dixit *hominem* exilire ab homine. Et hinc vario tamen modo, animas traduces concluſerunt, varii. Ipſe *Gregorius Nyſſæ Antiſtes*, ſuo modo omnes ani-

animæ facultates, ſub ipſo genereo congreſſu attribui concludit. Et eos qui in utero geruntur, incrementum capeſcere *Hominis* ut hominis eſt: nam unum etidem debet eſſe tum animæ tum corporis conſtitutionis principium ad generationem hominis. Ut verum ſtatuo & non magis impoſſibile quam hæc ſequentia dico.

*Cujus eductionis poſſibilitas circumſtantiis inſinuatur.*

Verbo (vel ut dicunt quidam mente, de cujus veritate ego hic con diſputo) in Euchariſtia, Chriſti corporis ſimus participes. Verbo olim Propheta multiplicavit balſamum pro fæmina. Piſces bini & panes quinque Chriſto benedicente fractæ, ita multiplicabantur ut earum partes reſiduæ vel reliquiæ, poſtquam jam millia hominum inde commediſſent, famem ſatiaſſent ventremque impleviſſent, plus loci occupant & plures ſunt, pluresque corbes replent, quam ante.

*Maria* obumbratione *Spiritus Sancti* impregnatur ita ut *Deitas à deſuper carnem de MARIA* aſſumpſerit. Quid enim obumbratio niſi quod obumbrando *Deitas* conjuncta fuit *carneis iſtis in Maria rudimentis: & particulæ carnem* conſtituentes *motus ulterioris principium* habeant *à deſuper* vel alio modo non uſitato, quod & quæ cætera rudimenta vel *animalia*, à vel ſub *ipſo venereo congreſſu* ob-

umbrante *aura ſeminali* ſuſcipiunt.

*Et ſuſcitatione herbarum ex ſemine aſſimulatur hominis productio.*

Tum enim ſeminaria ova vel rudimenta obumbratione quadam, auræ ſeminalis vel geniture patris (ſuſcipiunt omnia quæ adeſſe humani corporis requiruntur & ita ſimul animam. Cogitante motu, ſicut ſemina herbæque. Quæ ad eſſe herbarum a ſolis calore & humido accipiunt.

*Et ſimul tum animam tradi ſuſtentatum fuit à multis.*

Hæc ſententia de anima quæ ab egregriis profecta eſt auctoribus non ſine probabili ratione ſuſtentatur: licet aliquibus (quorum tamen etiam animus veræ religionis pietate devincitur) ſaniori ſententia adhærere ſe putantibus, negetur, à progenitoribus dari *animas*: animarum ferendarum rationem ſoli *Deo* ſubicientes. Quaſi hinc foret *Deus* vel minus *mirabilis vel potens*, ſi conflatum *hominem* ex *anima & corpore* ita conſtituiſſet quod ab illo ſimiles produci poſſent (ut ab herbarum ſeminibus mediante calore & humido omnia ad ſimiles herbas neceſſaria) quorum eſſet & maneret & haberetur certo modo parens, genitor, vel productor ipſe Deus quæ cogitatio abſit à *Chriſtiano*: magis enim & potens & mirabilis eſt, ſi per homines infundat neceſſaria ad homines. Licet in, à *Maria*, prolato *rudimento*, *Spiritus*

*Sancti obumbratione*, pro *Chriſto* (nobis excellentiori) ob hinc contribuerit *omnipotens*, omnia pro *Chriſto* neceſſaria dum corporis illa productio & extenſio modo non conſueto producta aut ſuſcitata fuit.

*Eadem probabilitatis cauſa ſuſtentatur mea quam negativa ſententia.*

Cum autem varii negativam ſententiam tenentes, de rebus his, ſuo modo, acſi fidei eſſent, diſcerendo, variorum ad hoc philoſophorum, ſe ſententiis affigant concludentes: ego me meis ſanioribus rationibus & plus *magnificentiæ* & *omnipotentiæ divinæ* contribuentibus & apte demonſtrabilibus, pari æquitate affigam.

*Hinc ad genituræ effectum procedo.*

Hinc dico patris *genituram* in procreatione animalis, cum matris hnmido efferveſcentem halitum emittere, qui halitus in opere conſervatur ut forte *ſanguinem matris*, ſicut ipſum *germen* in ovo contentum, ſimul fæcundet & ad motum concitet. Non aliter ac calor. *humidum terræ & germen*. in ſemine terræ mandato, ad motum concitat, in eoque conſervat, donec confirmata ſit herba, cujus totum initium germen, fuit, in ſemine extendendum.

*Cujus virtue ſic acuatur ut ſrlis armoniaci,*

*Sale Armoniaco*, *Sali Tartari* intimius juncto, *Salis Volatilioris* pars leni calore elevatur, quæ *Epilepticos* & *convulſivos*

reſtituit motumque conſuetum in corpore reſtaurat. Sic *Aura*, ſub congreſſu utriuſque *genituræ* elevata, *efficientes cauſæ* habet rationem; *materiam* & *rudimenta* ſubminiſtrata ad motum concitando, anima efficit & præbet *domicilium*, quæ ſimul

*Et anima ſimul adeſt.* ad eſt, & rudimentis ſe immiſcet, *Deo* auctore ſic volente *in initio* & materiæ humanæ attribuente ut actis agendis ſuſcitatis ſuſcitandis & cogitatis cogitandis, produceretur homo; animal rationale vel corpus humanum anima rationali prædictum & informatum.

*Et hinc homo dicitur in peccato concipi.* Hoc animal rationale concipitur in *peccato*, fitque Adami *peccati* particeps: quia *animæ* parentum propter delectationes ſenſuales, ad congrediendum procedunt ſenſuali congreſſu: hinc cum peccati macula naſcitur. Sub ipſa actione parentibus *ſenſualiter concludentibus*, procedentibus & cogitantibus, producitur & educitur in tempore homo quem creavit *Deus* in initio, mutatis mutandis cogitatis cogitandis ſubſequiturum.

*Procedo ſic ad probationem rudimentorum à matre in ovis contributorum.* Ut jam probem aura ſeminali, germina, jam ante ſubminiſtrata ſuſcitari, & tum ſimul animata animari: ſciant primo quod gallinæ bis vel ter à Gallo compreſſæ plus quam viginti ſolent

parere

parere ova fæcunda. At ſi *pulli ex ovo Generationem* contemplemur, quam ſic ſe habere autopſia docet, non exiguum ad ulteriora lumen præbens. Corporatur pullus ex germine, in quo nullus prorſus ſanguinis nota apparet. Licet enim quandoque in recentiſſimis ovis grandines in utroque vortice viſibiles, rubras vel ſanguineas reperiamus: nempe eas quas galli nomine indigitare ſolent. Sed ea pulli fundamenta vel rudimenta minimè ſunt, quæ in medio utriuſque cacuminis ovi ſe manifeſtare reperiuntur ubi circularis macula vitelli tunicæ adnata eſt.

*Quia galli genitura nil cernitur in animalibus poſt conceptum*

Nunquam *Galli genituræ* aliqua pars in ovo cerni potuit neque etiam illius, (nempe geniture) quidquam aliquandiu poſt congreſſum in uteris aliarum animalium fuit unquam viſibile. Vel quod de viſibilibus animalculis exhibent pari ratione deſtruitur ac ea fætus eſſe negamus.

*Et varia ab auctoribus allata falſa ſunt.*

Ex una & eadem materia, partes tam *Spermaticæ* quam *ſanguineæ* producuntur (quo ad apparentiam diſſimiles, materiæ licet ſint) hinc ruit diviſio partium, in ſpermaticas & ſanguineas, à Galenicis tantopere decantata qui ex ſimilitudine, oſſa, cartilagines, nervos & ejuſmodi

modi partes albas à paterna genitura originem ſumi ſtatuunt; & rubras à ſanguine maternæ concreſci etiam perverſe exhibent. Cum ut jam notum eſt, nil *paternæ genituræ* ſimile in utero aptum ſaltem reſtet, neque *ſanguine materno* fætus in utero aluntur: ſed humore inde ſecreto, non magis lacte, eo nomine appellendo. Inde liquet genituram patris non eſſe partem fætus neque ejus craſſamentum quidquam conferre, cum in materia & ſubſtantia minus ſenſili conſiſtat, quod materiam à fæmina collocatam ſubigit, & generationis eſt efficiens: nam fæminæ vel fæminarum uteri, vel fætus rudimenta à maribus fæcundata nil à coitu retinent genituræ ſpeciem referent.

Gallinæ bis vel ter à Gallo compreſſæ plus quam viginti parere ſolent ova fæcunda in cujus tamen utero illa genitura apta velut quidam volunt animalcula cum patris galli liquamine ea delata tam diu incorrupta & eadem permanere deberent tam jam jam ovo communicaturum animalculum, quam ea, forte poſt viginti dies vel plures, ovis communicanda: quæque tum ovo contenta & communicata poſt plures adhuc dies incubanda forent.

Præterea ſi bina inſint, uno ovo vitella, ut gallinarum vel aliquarum anatum ova ſæpe cernimus quomodo ſemper bina animalcula

malcula, ad vitellorum illorum loca devenient in pullos, extenſura ut talibus in ovis aliquandiu incubatis videre poſſimus; quomodo illa animalcula illud ſcient, ut duo & non plura, & nontantum unum, aliquod ad talia ova tendat. Semper de vel in talibus ovis bini pulli excreſcent ſed ſupervivere raro cernuntur & excluſi quia coaduniti excluſi & excluſione proximi, defectu alimenti (quod uno citius alio deficit) & reſpirationis & variarum aliarum cauſarum, alibi memoratarum moriuntur.

*Et nonea quæ de, & in mulierum ovariis oculis teſtibus habere poſſimus,*

In mulierum non tantum hominum ſed & omnium aliorum animalium, jamjam ad conceptum aptatorum, ovario: licet conſpicere, exigua multa, ovis ſimilia, rudimenta & inter illa vel unum vel duo vel plura (pro ut plurium fœtuum, eo congreſſu tunc mater fieri poſſe aptata eſt) rudimenta maturiora & manifeſtiora; qualia etiam inde ſecedentia poſt coitum (etiam humanum) in utero (etiam humano) reperimus, mollioribus tunicis *ſepta*.

Poſt modum de die indiem, majorem in illis mutationem, inque ejus *medio* clariſſime *fœtum* exiguum contentum, mecum clariſſimi multi viri conſpexerunt: varia animalium impraegnatorum utera examinantes: ut illi etiam latius expoſuerunt. Hinc

*Quæ etiam Egyptiorum Theologis nota videntur fuiſſe ſed tecta.*

HincEgyptiorumTheologia Deos ſuos ab, vel ex ovo genitos exhibuit, dei nomine utentes, nulla alia de cauſa, quam quia (ut aliquorum antiquorum philoſophorum eſt vel erat mos) ſcientiæ principia pro doctis & verſatis & à ſe inſtructis conſervare volentes, *Deos* dixerint; *homines* putarint. Hinc *Ariſtoteles* à rege objurgatus quod omnem ſcientiam *libris editis* patefeciſſet, reſpondit *præcipua principia* eſſe tecta & non niſi à verſatis & à ſe edoctis perceptibilia. Illi enim philoſophi vulgus & regibus & philoſophis obſequioſum magis, & ſe ipſos majoris aeſtimationis putabant; quo plus publico bono ſe neceſſarios videbant.

*Ut non abſimili modo inſtioſe ſua tegunt Ethnici ſacerdotes & alii administrando medelas.*

Non abſimili de cauſa multi, poſt *Salomonis* de re medica & naturali *libros* combuſtos, ea que ſibi ex iis memoriæ mandata conſervabant, poſteris fuco vel circumſtantia aliqua tecta (ne à plebeis dignoſcerentur) tradiderunt, quorum poſterorum aliqui circumſtantias illas vanas eſſe, verè ſciebant, dum rurſus alii à prædeceſſoribus decepti, in iis vim & virtutem conſiſtere ſibi perſuadebant. Hinc *Ethnicorum ſacerdotum* & magis verſatorum cognitio, ad varia peragenda; morboſque ſanandos,

eſt

eſt deducenda variis & ſuperſtitioſis additamentis, involuta & tecta (ſuperiorum forte & prædeceſſorum relatione ab ipſis judæis deducta, vel ex primorum parentum ſcientia tranſlata) ut ſibi & ſuis ſcientiam & obhinc alimoniam & honorem & gratiam populorum, minus verſatorum, & magnatum conſervarent. Dolo & circumſtantiis variis & ſuperſtitioſis ſua tegentes, ut deorum gratiores miniſtri & hominibus graviori de cauſa neceſſarii apparerent.

*Reditus ad fœtus initium, quod aliqui dicunt eſſe unum ex animalculis, quæ ingenti multitudine in ſemine reperiuntur.*

Sed ut redeam unde digreſſus ſum. Non me latet viros, ſi quos alios novi experimentis magis exactos, generationem ex ovo negare; quia in omnium animalium virili *ſemine* vel *liquamine* copioſiſſimum numerum animalium *Microſcopii* ope detexerunt, & unum vel plura horum animalium, cum virili, liquamine, ad uterum vel utera delatorum, inibi latius extenſura putant. Ita ut in matre non fieret generatio ſed extenſio infuſi animalculi vel animalculorum.

*Quare huic poſitioni non conſentio. prima ratione.*

Ego tamen ob hanc unam experientiam & varias & ſatis firmas ob rationes in conſenſum poſitionis illorum virorum non diſtrahor. Nam ſaepius in humoribus variorum animalium partes mulie-

 bres

bres (cum ad venerem ſtimulantur) madefacientibus ab iiſque defluentibus, animalia *Microſcopii* ope detexi, (quamquam rarius). An illi in virili ſemine omnium animalium & ſemper inveniant neſcio. Præterea ſi unum vel plura ex animalibus cum virili *ſemine* vel *liquamine* exilientibus. excreſcerent in homines. Ad quid perditio ingens, aliorum iſtorum ſimilium animalium, numeri, in ſemine reperibilis. Sed vana foret hæc á me prolata objectiva quæſtio, *Deo* hæc ſic volente, à cujus *voluntate* perditio procederet (perditio etiam minime ſic nominanda) caſu illo pro vero ſumpto.

*Secunda.* Ad eas igitur me deducam rationes, ad quas notiones probabiles, me habere mente concipio eas que, in præfatione ad lectorem Tractatus mei belgice editi: *de ſectione Cæſarea; de generatione; & obſtetricum erroribus*, adductas repetam: nempe, ſi unum ex his animalibus, pro fætu latius expanſurum ſit, quare non primis impragnationis temporibus exactiori figura & forma præditum, ſe oculis offert? nam fætum humanum ut & canum aliorumque multorum animalium, articulos parteſque interiores minime perfectas, inteſtina vix tecta (ut oculis videre cuilibet non erit difficile) reperiet primis imprægnationis temporibus

*Tertia.* bus. Si ova etiam ferè ad ultima excluſionis vel incubationis tempora incubata examinemus, reperiemus pullos, corporis figura externa ſatis eminentes, vel perfectos. Sed inteſtina vix tecta, quaſi extra ventrem locata: cujus imperfectionis non putem aliquod ſignum, in *animalculis* illis, in virili ſemine vel liquamine repertis, *Microſcopii* ope detectum eſſe: cum illa animalia vel animalcula perfectè figurata & decenti ſuo modo formà conſpiciantur in ſemine: quæ corporis decens figura, ad firmiorem conſtitutionem, abſque talibus imperfectionum ſignis, procul omni dubio deduceretur & ſe oculis exhiberet manifeſtior, in utero ulterius extenſo jam animali.

*Sententiam de ovis deſendunt mutationes, quas in ovariis cernimus cum ad venerem ſtimulantur.* Non putem á quopiam in dubium vocari poſſe, eo temporis quo ad imprægnationem animalia vel matres aptatas cernimus: *Ova* vel *Ovum* ſaltem unum & magis ejus *conceptaculum* (pro ut pluribus tunc fæcundari poterunt fætubus) in ovariis, (quos teſtes muliebrium dicere ſolebat antiquitas) magis eminentia vel majora, eminentem & majorem cernimus.

*Ut & mutationes in ovario poſt quam fuerunt impregnata.* Poſt modum etiam in loco unde depreſſa ſunt ova exigua vel fætus rudimenta vel principia,

cipia, veſtigia ſatis manifeſta & ad ſemper remanentia ſe oculis offerunt; ut quam multorum fætuum mater fuerit, hinc licet etiam diu poſt partus in aliquibus judicare.

Manifeſtum etiam eſt ſignum, generationem fieri ex ovo: quia animalia omnia tantum communiter (niſi in aliquo fiat error vel alius caſus ſe offerat) numerum fætuum producunt: quantum nempe ova fæcundata in matris utero cernere licuiſſet: ſi ea primis diebus examinaviſſemus: ut & ex ſignis in ovario, ad longius tempus remanentibus perſpici poteſt. Ita ut dici, nemine contradicente, poterit, animalia impraegnari, non pro numero illorum animalculorum (innumerabili copia numerum excedentium) cum patris liquamine eo exilientium, ſed pro numero parvorum illorum rudimentorum ab ovario receſſorum, in utero reperibilium: & etiam pro numero remanentium ſignorum in ovario exſtantium.

Et ova inde receſſa in utero reperibilia, tam multa ſunt, quam foret fætuum mater.

Non pro copia animalculorum ſed ſignorum receſſorum ovorum in ovario manifeſtè notatorum.

Ova jam ab ovario depulſa in ipſis tubis reperiunt mecum, omnes illud experire non abhorrentes: quæ inde poſtmodum (ut niſi ſingulari caſu ſe offerente ſemper fieri

*Ovorum illa exigua rudimenta poſt paululum temporis manifeſtioris fœtus præbent ſigna.*

fieri certum eſt) ad ipſiſſimam uteri capacitatem delata, in majus magis extenduntur, inque ejus medio fętus rudimenta: ut præfatione prædicta & Epiſtola de generatione expoſui largius, & ex profeſſo ea de re clarius *Regnerus de Graaf M. Doctor Tractatu de Mulierum Organis.*

*Quod latius alibi demonſtravi & indagatoris conſtabit oculis.*

An & quod jam animalia vel exigua illa animalcula, cum virili liquamine, ad uterum delata, membranulis tecta ova vel ovorum ſimilitudines, poſſint intrare (ut neceſſario deberent vel debuiſſent, ſi ex animalculis latius extenſis prodi ſtatuatur faetus, vel ſi fœtus ſint) ſicui ſine majori cauſa dubitare & ſuſtineri placet, per me licet: nam haec tam in obſcuro non fiunt, ut tenuitatem viſus ſeduli indagatoris fugiant. Nam in ovis iſtis ſaltem fætus exigua initia locata eſſe quis quis meam aut *Clariſſimi De Graaf* latiorem multò deductionem legerit, negare non poteſt; ſaltem cum jam ad uterum delata ſunt.

*Et quæ inconvenientia hæc animalcula forent ſubjecta.*

Praeterea ſi animalcula forent faetus initia: aſcendant ad hoc neceſſe eſt, per tubas ad ipſum ovarium oportet; vel in ipſiſſima uteri capacitate vel

vicinia, per duos, tres & in gallinis plus quam triginta dies maneant ſuperſtites: virili liquamine & forte cum eo cæteris animalculis effluxis, ut ovorum (trigeſima forte die, poſt congreſſum galli, in gallina) ad uterum delatorum clauſtra poſſint ſubire vel intrare. Quod tam puto in obſcuro ſit, ut defendentium viſus tenuitatem fugiat, quique præterea tum etiam veriſſimas & oculis conſpicuas prolatas mutationes in ovariis & ipſiſſimam ovi deceſſionem ſatis manifeſtam & viſibilem & ad uterum per tubas delationem; inque utero ejus poſt modum mutationem (non negandam) negare tamen cogantur.

*Et quam vera negare cogantur.*

*Contrarium ſupponentes.*

Negativam etiam ſententiam aſſumentes & fætus á patre utero infundi cum genitura patris vel ejus liquamine (multis ſimilibus animalculis vel fætubus permiſtis ſimul exilientibus) ſtatuentes, plura ſupponant neceſſe eſt. Quę tamen poſitio & ſuppoſitio vel aſſumptio multorum etiam Doctorum habet conſenſum; potius ex complacentia & velle, quam veris & veritati congruis rationibus deſumptum. Varia ſunt quæ incautos etiam doctos in errores ducunt & conſtringunt: ut alibi latius expoſui. Humanum enim eſt labi.

Si jam uti ſæpius dictum eſt, ex millenis

*Quid his ſuppoſititiis fœtubus deberet contingi contraria obſervationibus anatomicorum.*

nis his animalculis, cum patris humore genitali (vel potius tum liquamine) utero partibusque vicinis injectis, unum animalculum, nobis fœtus nomine veniat: illud de die in diem, perfectiori & decentiori forma, ſe nobis exhiberet viſibile, aut deberet ſaltem ſic ſe nobis exhibere: quod contrariatur omnibus etiam ritè exhibitis obſervationibus exactiſſimorum *Anatomicorum*, quæ merè forent eluſiones & hallucinationes, & *Anatomicus* ille, ſiquis alius in ſignis *Harveus*, quam maxime tum hallucinatus eſſet, aut ſaltem iucautior & negligens ſe geſſit, dum poſt varias examinationes & experientias dixerit, animalculi, puto fœtus iſtius partes (jam antequam illud utero eſt incluſum, & cum virili, ſi ita loqui liceat, geniture adhuc eſt permiſtum, ſatis viſibiles & ſolidas habens partes & viſcerum conceptacula apte ſatis confirmata ut incluſa viſcera redderent oculis inconſpicua) jam eo loci, ubi partium externarum ſolidarum, non minus quam internarum, firmior & craſſior & craſſior & ſolidior & magis inperſpicua evaſura foret ſubſtantia: reſpectu habito ad interna ibi in utero, de ſoliditate & craſſitie remitterent,

*Differentium de prioritate partium quarundam perfectiori forma oculis ſe manifeſtantium.*

rent; tantum ut liquaminis ſimilitudinem præberent examinanti: quæ fætu magis ad maturitatem deducto rurſus contrario modo ſe haberent, idque tam manifeſtè, ut *Clariſſimus Harveus* eam ob cauſam dubitarit, an prius ſanguis vel conceptacula ſe præberent viſibilia.

*Et quæ nam illæ ſint: ita ut manifeſtè conſtat non in ſundi perfectæ corporis figuræ fætum.*

Cordis, hepatis prius initia cernimus, ut & prius cerebri & oculorum initia nobis manifeſta ſe obiciunt, quam ſolidiores externæ partes. Caput in prima rudimenti expanſione (habita ratione reliqui corporis) magnum apparet. Deinde brachia crura & pedes & manus viſibilia fiunt, dum hæc oculis intueamur, vix viſcerum rudimenta diſcernere licet (in aliis animalibus tamen magis (illas tamen tandem ex veſicæ forma conjicimus, quibus extus prius conſpicuis, tandem integumentorum craſſitie & minori opacitate abſconditis, intra paucos dies redditur conſpicuum, ſolidiori & decentiori forma, licet exiguum, fætus. Quamquam gallinaceorum pullorum inteſtina, ad ultimos incubationis dies vix tecta & extra pectus locata appareant & vera ſic inveniri dici poſſint.

Jam ulterius progrediens, deducor ad quid aliud propter quod fætum vivum (ad majus extendendum) à parte patris pro-

*Qui in patris liquamine, appendicibus illis (ut vaſis umbilicalibus) innatare conſpici deberent.*

procedere & utero matris ad hoc indi, minimè etiam ratione vel experientiæ quadrare videtur. Nempè poſito quod ovum matris ſubire poſſent animalcula, cum patris liquamine ſimul exilientia: unde provenient illorum animalculorum vaſa umbilicalia; ut duæ arteriæ; unica vena & urachus, quæ affixa & involuta membranulà, tamquam in vagina recondita, longius protendunt, & placentæ inſeruntur, quæ utero affigitur: per quam tum humor à ſanguine materno, in uteri ſubſtantia ſecretus, fætu ſe extendente, & ejus ſanguine ad placentam delato ſuum conttibuente, cum ſanguine reduce, confluit ad fætus cor: (adde etiam quod ore aſſumat alimentum ut alias expoſui) non putem animalcula iſta his appendicibus, liquamini paterno innatare cerni.

*Vt ovis & ovorum omnium animalium rudimentis ulterius paulo deductis conſpicimus.*

Cum autem certo certius ſit: in omnium animalium genere, tam in *viviparis*, quam *oviparis* vulgo dictis, ut & avibus & piſcibus; quadrupedibus ac homine *ova* vel *ovorum ſimilitudines* reperiri: (in *Avibus* ac *piſcibus* evidentiſſime *ova* conſpici, nemine contradicente, aſſerimus) ſed ea ova, veſicularum ad inſtar (ut in avi-

avibus etiam ovorum germina & rudimenta) diſſecantium anatomicorum oculis, viſibiliter ſe offerre, non eſt quod probem; ut & in *vaccis, equis, porcis, canibus &c.* oculato indagatori conſtabit, duriori cortice licet non abſcondantur aut muniantur; quemadmodum avicularum ova ſolent, quæ in ea cortice ſimul cum rudimento etiam pabulum abſcondunt & quæ extra corpus, ut pulli excludantur, pluribus periculis exponerentur, a quibus putaminum ope liberatur: cum alia, in ipſo femineo corpore extendenda, maneant ab externis injuriis magis tuta; & ſimul à matribus alimenta ſingulis diebus ſuſcipiunt: quare etiam rudi indagatori minora apparent.

*Ab ovario matura decedunt & veſtigia dudum poſt cernimus.*

Cum autem verum ſit, ovum matris, oviparæ vel viviparæ, volatilium ac piſcium, quadrupedum ac hominis ab ovario materno depelli maturum; & ſempiternum poſtmodum depulſi veſtigium cerni; illudque ovum per tubum vel uteri cornu ad uterum depelli; inque hoc ovo fætum vel animalculum cum patris liquamine eo deductum ſi ſtatuatur incrementum ſumere: unde contignitas ipſius fætus cum ovo? unde vaſorum umbilicalium contiguitas cum membranulis & ſecunda? quæ ſi mihi clarius exponerentur, ut & cæteræ meæ rationes convincerentur,

tam

tam parum opinione milito, ut grato & libenti animo dextram meliori docti mundi fautori præbiturus ſim: idque eo magis mihi erit facile, quia nil veritatis, mihi derogat in cæteris, animo à me meditatis, & nil planè, niſi an verum, hoc ſit, nec ne; quod ſcio tueri à talibus, quorum ſatius judicarem experimenta ſequi, quam iis opponere quidquam.

*Procedo ad objectionem aliquam ſolvendam de muli productione.* Cætera quæ dicenda forent, de fætus alimentatione, & incremento, partim ex variis auctoribus, partim ex mea de generatione edita epiſtola recolligenda ſunt: nam ad ea examinanda procedendum mihi eſt, quæ mihi à *viro clariſſimo* objecta ſunt, ea intentione, ut improbaret generationem ex ovo: dicendo, ſi ex ovo vel ovis vel ex in illis contento rudimento fætus prodeant: qui ex *Equino* ovo vel eo indito rudimento *Aſinino* ſemine ſuſcitato, fætus non matris ſed utriusque mixtam ſpeciem præ ſe ferens? muli nomine notus.

Prius quam ulterius reſponſurus procedam. Sciant, me ex præmeditato dixiſſe, ovorum rudimenta, à me ſic nominata, vivificari aura ſeminali, ex utriusque parentum liquamine elevatà.

*Reſpondeo.* Ut autem objectioni reſpondeam,

deam, pari paſſu, primo petendo procedens, interrogo: qui (ſi animalculum cum patris genitura vel liquamine ad uterum delatum, ſit fœtus) ex *Aſella* & *Equo* vel caballo, fœtus mixtæ ſpeciei, mulus nominatus.

*Objectionem eſſe pro me.*

Sane illa objectio, licet aliquibus, aliqua de cauſa, ad rem eſſe videatur, multis de cauſis melius adducitur pro me, quam mihi in contrarium, vel tanquam quid obverſum objicitur.

*Nam rudimenta facilius quam animalia immutarentur.*

Majori enim de cauſa rudimenta, quam animalia bruta (ut de monſtris latius examinaturus & deducturus ſum) aſſumunt aliam corporis conformationem. Monſtra quidem generantur vel producuntur, à brutis, non autem prodeunt, eorum fœtus, truncatis membris, trunco ad huc cruentato aut alio modo ſignati ut ſolis hominibus contingere propter animæ poteſtates latius ex hibebo, ubi expreſſe de monſtrorum generatione agam.

*Et hinc ab equo infuſum equinus fœtus foret equus & non mulus.*

His nil intendo, quam quod, cum verum ſit, bruta anima rationali eſſe carentia nemine contradicente: neceſſario fœtus, à patre *Caballo* vel *Equo*, utero Aſellæ impulſus: ibidem ad juſſam

pattibus

partibus ſuis convenientem extenſionem › alimento aſſumpto deduceretur, & in equum & non in mulum excreſſeret his modo dictis præfatæ objectioni quamquam ex abundanti ſatisfecerim & illam minus mihi quam aliis obverſam demonſtraverim, ne tantum vim vi ſine probabili aliqua cauſa vel ratione repellere præjudicioſis quibuſdam videar, ad generationes vel impprægnationis initia me convertam.

*Ad quod probandum procedo ad generationis modum.*

Non eſt neceſſe multis ut exponam, qui in omnibus animalibus humores ad hoc aut illud non niſi certo tempore fæcundantur vel aptantur in tempore enim circulantur aptantur & reſumunt vires, ſic enim & herbæ quædam primo, quædam ſecundo aut tertio prius anno frugiferæ; ſic hiſce in partibus arbores quædam tertio, quarto & quinto prius anno fæcundæ & fructiferæ & inſequentibus annis quædam ſingulis quædam tertio anno ſemper fęcundæ, vel magis fructiferæ: ex hauriuntur humores apti; cum ter & quater ſint fructiferæ in aliis terræ partibus vires citius quandoque reſumunt.

*Et imprægnationis tempora.*

Sic & animalia quædam primo, quædam ſecundo, tertio, quarto aut ulteriori anno ad Venerem & fæcunditatem aptantur. Quædam ſæpius in anno, quædam ſingulis annis, quædam ſecundo aut tertio rurſus an-

no imprægnantur aut pariunt. Et imo loco citius quam alio & ad copioſiores fætus fæminæ aptantur &c. ſolus homo vel ſola mulier ſemel aptata, ſemper ad Venerem aut ſinguli ſaltem menſuum fluxibus præteritis, niſi gravida ſit, ad imprægnationem aptata dicitur, & aliquod poſt partum temporis, rurſus ad impræguationem aptatur, pro ut magis vel minus humorum neceſſariorum præſentia, generatione, aut eductione, retardatur aptitudo, ut ſit dum lactis eductione aliquando humorum quibuſdam particulis enervatus ſanguis, impræguationis tempus retardat; vel retardatur vel pro ut particulis aptatis magis quocunque alio modo, vel minus abundat ſanguis; & prout vaſa generationi inſervientia facilius vel difficilius extendantur & hinc facilius vel difficilus, citius aut tarduis ad venerem & impræguationem aptantur (licet varia prodeſſe aut obeſſe putem, quæ brevitati ſtudens ommitto): Hinc vaſa matricum & muliebrium partium, aliquibus temporibus, ſolito magis diſtenduntur, & humore madent.

*Et ejus aptitudinis indicium menſtrualis fluxus.*

In ipſis etiam brutis, quibus menſes fluere, negatur à multis. Partes his, hinc dico, madent & intumeſcunt, & ſat magna copia humorum effluit, per multos ſæpè dies (niſi impræguentur) ut ſimili fluxu affici dicantur meritò. Hu-

*Quo viſo cerni in ovariis poſſunt ova fœcunda.*

Humoribus his fluentibus, & aliis ſignis apparentibus, ſi aperiantur animalia, tam multa ova vel ovorum conceptacula protuberantià manifeſtà ſe præbent viſibila in ovario, quantum fætuum mater fieri poteſt aura ſeminali ea vivificante. Non aliter ac in herbis & arboribus matura ſemina: humido & calore vivificabilia dinumerare valemus.

*Quæ in matre aptantur ut vivificari poſſint.*

Aptata ſunt ova in vel adhærentia ovario, propria mulierbrium humorum copiâ ad ovarium & ova nempe delatâ, & in motum concitatâ, ita ut ulterius aura ſeminali vivificari poſſint. Aptato ſubjecto indita. Non aliter, ac ſemina, vel herbarum rudimenta in herbis, non ultra deducuntur aut deduci poſſint, quam ut ſemina & herbarum rudimenta ſint, & latius expanduntur aurà ex calore & humido elevatà, ea vivificante, ejuſdemque ſpeciei herbam excreſcere faciente.

*A ſola fermentatione immutatur ſubſtantia.*

Fermentatione (ut dici placet aliquibus) ſubſtantiæ quælibet diverſificatio & aptatio peragitur. Varificatur ſubſtantia, quia vario particularum movendi modo, & variis additis particulis variat partium ſubſtantiæ inter ſe actio, & conſiſtentia & cohærendi modus & ad varia potentia vel virtus. C 2 Fer-

*Et quid mihi ſit fermentum.*

*Ejuſque diviſio.*

Fermentum igitur dico, ſubſtantiam aliquam, ſi particulæ omnes vel ejus quædam aliis recenter additæ vel diutius retentæ ſuo tempore eas, quibus permiſtæ ſunt ſuo modo moveant; aut motum alium & novum inducant. Fermentum autem non ſunt dicendæ particulæ novæ, ſi ea, conſueto modo earum particularum, quibus adduntur, moventur; & iis ſimiles fiant.

*Et quomodo ova poſſunt dici fermentari.*

Proprio igitur fermento aptantur matris ova ad patris genituræ auram ſuſcipiendam. Hinc ova aura addita fiunt, quod ſua ſponte motu & fermento conſueto non fierent. Non abſimili modo (ut ſimilitudine utar) ac ſi duo globi alicujus inſtrumenti bellici, ſibi in vicem magnitudine & pondere impares, aptè inſtrumento emiſſi vel exploſi ſeſe obviantes, vel impingentes, celerior motus & major & gravior, motum continuare poteſt, obvium minorem & leviorem; ſecum retrocedere cogens & abripiens & ſecum reflectens: reducendo ejus reducti motum immutat: ut victor, ſit actor. Quamquam obinde etiam hoc agendo aliquid ſui motus amittat. Præcipuus tamen actor dicitur & habetur, qui magis de motu conſervat & immutati motus major cauſa habetur.

Sic

*Aut humores fermentantur.*

Sic etiam diverſorum humorum (vel magis etiam ſolidæ ſubſtantiæ) particulæ diverſæ, permiſtæ, diverſimodè motæ vel inter ſe cohærentes, non omnes ſemper eodem modo moventur; vel movent diverſas & diverſæ ſubſtantiæ particulas ſibi obvias: neque ipſæ etiam omnes eodem modo inter ſe permiſtæ & cohærentes manent, ita ut etiam compoſitum ex his permiſtis reſultans vel generatum variat: quia particulæ nullæ motum conſervant, quali movebantur impermiſti & ſeparati ſui, & hinc non moventur motu, unius ſubſtantiæ particulis tributo, ſed motu permiſtarum iſtarum particularum (quæ ſunt diverſa ſubſtantiæ) pro poſſe convenienter. Quia tamen magis motu, harum quam illarum particularum, ſimili moventur, cum unius ſubſtantiæ particulæ motæ, ab alterius ſubſtantiæ particulis, aliter inter ſe cohærentibus, & inter ſe motis, à motu conſueto divertantur, abripiantur & reflectantur; jam procedunt ad motum, motu magis illius alterius quam ſuæ ipſius ſubſtantiæ particulis convenienter; magis illius alterius quam ſuæ & propriæ ſubſtantiæ particulas agere, nemine contradicente, dixero.

Hinc illius ſubſtantiæ particulas huncque humorem pro fermento pono, à quo

*Pro fermento pono quod magis active ſe habere dici poteſt in mixto.*

mixto vel mixturæ contribuitur & communicatur ſimilitudo motus, ei motui ſimilis, quo moventur vel moverentur ejus particulæ, ſi ſibi relinquerentur; ſibi ſimilibus jungerentur; aut permiſcerentur.

*Hinc fermentum eſt quod mobilitero præbet motus initium.*

Hinc fermentum, mihi eſt ſubſtantia, quæ ſuis particulis, alterius ſubſtantiæ particulis addita, eas ibi inventas vel fortius ad ulteriorem motum inducit; inque alium diverſum commutat, aut à modo conſueto, ſe movendi, habendi vel extendendi ſeducat. Ita ut interna, externave ſubſtantia, ſubſtantiæque figura vel effectus variat; aut aliquo modo aliter ſe habeat illa ſubſtantia, aut ſe habent ſubſtantiæ particulæ, quam ſe haberent ſi ſibi relinquerentur aut relicta fuiſſent iis agentibus, quibus ad motum conſuetum concitabatur vel concitabantur. Ita ut fermentum paucis ſi deſcribatur, eſt, quod mutabili præbet, vel quod mutato præbuit, motus initium; quo motu mutatur & fit tale, quale illud cernimus aut reperimus.

*Et ſicut placet aliter explicare fermentum per me illis hoc ſit integrum.*

Non me latet alios fermentationem & effervescentiam diſtinxiſſe. Dicentes fermentatione res ad ſeparationem parti-

particularum ſuarum aliquarum diſponi; & effervеſcentia ad conjunctionem. Sed hanc diſtinctionem deſerui: quia merè mentalis eſt. Nulla enim eſt effervеſcentia, qua mediante non aliquæ particulæ planè à conſueta cohæſione alienentur, aliiſque ſaltem recenter additis ſe interponentibus, ad ſeparationem, non tantum non diſponuntur, ſed verè ſeparantur: nulla etiam eſt fermentatio, qua mediante non fit aliqua multarum particularum (ſi non omnium) alia vel nova conjunctio. Sed non verbis milito, cuilibet relinquo verbis ſibi conſuetis, & magis propoſito ſervire apparentibus, explicare mentem, mentiſque intentionem. Hinc etiam non expoſtulo, ut fermentationis nomen, pro termino utantur alii: ſed tantum ut intelligatur, quid illius uſu mente fuerim meditatus.

Ut ad propoſitam mihi metam brevitatis procedam, pauca adhuc de fermentatione examinanda ſunt, quæ ſilentio prætеrire minimè ratum duco. Examinandum mihi dehinc reſtat adhuc, propter quod, hæc de fermentatione modo prolata, ſequentibus præmittere volui.

Confidenter ſatis aſſerui quid fermentum ſit, vel ſaltem, quid ego eo nomine venire velim (licet ex profeſſo an ſit & quid ſit hic diſcernere non intendiſſem) his modo prolatis, pro intenſione mea ſatis

expoſui. Sicui motus inducentes particulas alio nomine proponi placeat: per me illi licet: dum fermenti etiam nomine mihi relinquat exprimere, aut indigitare particulas unius ſubſtantiæ, quæ alterius ſubſtantiæ particulis applicatæ, particulis ibi inventis, ſuo interventu, motum inducunt, ſuo motui ſimilem, vel á conſueto alterius motui alienum.

*Dummodo mihi relinquat fermenti nomine exprimere quod mihi commodius viſum fuit.*

*Quando quid fermentum vel fermentare dicitur.*

Siquæ particulæ recenter additæ alterius ſubſtantiæ particulis, ab iis ibi inventis deducantur ad motum ſimilem ſuo motui, vel communem iis quibus adduntur, additæ non fermentum ſed fermentari dico. Si vero additæ immutant motum earum, quibus addi dicuntur (à majori parte denominationem vel aliunde licet ſumam) eæ mihi fermenti nomine veniunt. Si vero diverſarum ſubſtantiarum diverſæ particulæ, invicem mixtæ, poſt conjunctionem motui fermentativo mixtàm ſpeciem præ ſe ferant ambarum ſubſtantiarum motum fermentativum quid contribuiſſe dici poteſt. Si vero ex mixtura producatur quid ab his ſubſtantiis plane diverſum ex variis fermentis novum productum dici poterit fermentum.

*Vel quando novum fermentum oriatur.*

Ipſa

*Ipſam etiam putrefactionem fermentationem dico.*

Ipſa etiam putrefactio & corruptio fermentatio dicenda. Sic tamen appellanda: quia motu illo, ſubſtantia mutatur ad vel in quid, minus à nobis optatum, aut ad vel in conſiſtentiam minus communi modo decoram vel laudabilem. Eæ diſtinctiones adductæ à me ſunt, tantum, ut ad ſequentia exactius procedere valerem.

*Primo modo ſanguini in eſt fermentum innatum.*

Primo modo fermentum eſt ſimile, ſanguini innatum, vel parentum ſeminali aura rudimento inditum, quodque manens idem, eodem etiam modo ſe habet corporis ſanitas. Quamdiu ergo eo fermento ſic conſtituto, quacumque de cauſa, vel per quamcumque viam, quid conſuetum vel extraneum, vel ex aſſumptis chylus aptus, conſtans ex particulis talibus, quę ſanguini permiſtæ, ſanguinis cæterorumque humorum particula,

*Permanens.*

eodem & non multum abſimili modo interſe cohærere & ſuo interpoſitu eodem modo interſe moveri & interponi permittant & faciant, corpus in vigore conſervatur, ſanumque permanet.

*Immutatum.*

At quam primum aliquid; vel chylus particulis inconſueto modo permiſtis; vel conſuetis aliquibus particulis orbus; vel peregrinis adiunctis;

vel

vel iis pro modo ſuæ compoſitionis aliter interſe cohærentibus & ob hinc difficilius aut facilius ſeparabilibus , aut aliis permiſſibilibus , corporis humoribus ſanguinique permiſceatur , humorum ſanguiniſque ſtructura immutatur , morbiduſque ſtatus inducitur & in mortem quandoque conjicitur animal.

*Sed fermentari dico ſanguinem aliqua tamen conditione.*

Si autem peregrina vel adventitia illa ſanguinem immutant manifeſta qualitate aut conſtitutione, fermenti modo ſe habent, morbiduſque ſtatus inducitur ; ſanguiniſque motu conſueto totaliter ceſſante , mors inducitur. Sic fermentum eſt quod contritam & humido permiſtam ſiliginem , in fermentum convertit ſibi ſimile , & ſemper converteret , niſi fornacis calore in tempore inceptus motus , turbaretur & ceſſare cogeretur ; & mixturæ partis calore mediante ibidem in fornace in maſſam panis nomine digitatam deducerentur.

*(Fermentationem impediri ſiquis velit per me illi ſit integrum.)*

Sanguinis tamen etiam conſtitutio , vel partium illius configuratio , ejuſque conſiſtentia, quando pedetentim immutatur ; & quaſi langueſcit ejus fermentum , ob particularum aliquarum, nec fermentare nec fermentari potentium, permiſtionem. Ad quemcumque modum fer-

fermentandi hunc caſum applicent novumque ad hoc fermentandi modum concinnent, per me hoc cuique eſt integrum. Cùm mihi ſufficiat hæc inſinuaſſe: & fermentare & fermentari potuis dico, quod manifeſte vel agat vel agitetur: Licet quandoque etiam quia non agitari poſſunt particulæ, à fermento, naturam à motu conſueto ceſſare faciant, tam ſubito, ut hinc agere aliquibus dici poſſint, particulæ non fermentabiles mihi dictæ.

*Illis binis fermentandi modis explicatis procedo.*

His binis fermentandi modis determinatis, ad ea procedam, ad quæ elucidanda & extendenda hunc de fermento diſcertationis modum hic inſerere mihi neceſſarium viſum fuerit (aliis bini fermentandi modis latius ſimul deducendo) nempe ut determinarem fermentum eſſe, quod *volatilium ovorum particulas*, calore mediante, in *motum* concitat, talem, ut eo mediante rudimenta extendantur in *pullum*. Et quod fermento operante bene vel male confirmati fætus prodeant. Quo fermento & rudimenta & matris humores aptantur.

*Ad fermentum quod ova fermentat.*

Sic & *fermentum* eſt, quod *humana ova* fæcundo motu & permiſtione humorum extendit in *corpus humanum*. Vel quod matris humores in ovario ad hoc aptat.

Fer-

*Et quodammodo immutat.*

*Fermentum Equinum* eſt, quod *Aſinarum ova* in animal ab utroque diverſum, nempe *mulum*; facit excreſſere vel extendit.

*In animal ſpecie vel forma diverſum.*

Sic ut fermentum hoc animal, hæc animalium rudimenta, tantum non extendit modo: ſed ſimul cum humorum extendentium mutatione (ab aura ſeminali jam in rudimento vel fætus initio diverſificata) etiam formam illarum partium (quas ſuis mutatis particulis extendit) immutat externè, quo ad partium componentes particulas & hinc quo ad partes & quo ad totum: ita ut non variet, fermentum auræ ſeminalis patris, tantum humores, ſed hinc etiam partes, humorum interpoſitu extenſas, & conſequenter totum compoſitum.

*Non diverſificat propter alimentum ut matris.*

Peto jam ab iis qui actualiter animalculum aliquod cum patris liquamine exiliiſſe, mole augmentaturum præſupponant: quare illud non ſit tantum patri ſimile? Si objiciant alimento matris immutatum eſſe: reſpondeo rudimenta matris & matris alimentum patris fermento immutata eſſe, me, potiori jure, determinare propter rationes nominatas & nominandas.

Quis unquam vidit ſi arenoſo, vel cænoſo,

*Sicut non diverſificant ſpecie herbæ quocumque ſolo ſatæ.* ſo, vel argilloſo, aut alio ſolo, aqua, aut libero aëri inaſcantur herbæ; & ab illius ſucco extendantur, extenſa fuerunt vel ſunt illius rudimenta, vel augmentum ſumpſerint (quia ubique calore patre ad motum concitantur, herbarum initia vel rudimenta, cæteraque neceſſaria quæ ſimul cum particulis internis in eo conſervantur ad plenariam extenſionem) eas herbas inde productas degenerare in alienas aut mixtæ ſpeciei herbàs. Niſi quid peregrinum obſit: Ut alibi latius de earum quibuſdam mutationibus determinaturus ſum. Non mutantur herbæ in eadem regione ſed quandoque in alia amittunt vires.

*Quomodo fiat mutatio.* Mutatio concipi non poteſt poſſe contingi ſine particularum aliquarum peregrinarum additione; vel ſine aliquarum conſuetarum ſeparatione; vel ſine mutata inter ſe congreſſione & cohærendi modo.

Si fætu maturo deſit aliqua pars, tunc ei vel deeſt extenſio, quæ nunquam fuit; vel ſi fuerit, facta eſt ceſſatio vel ſeparatio iſtius partis: Uti alibi de monſtris diſſerendo inter varios mutationis modos latius exhibebo.

A parte matris tribuitur quandoque vitiatum alimentum & ob hinc ſequitur

*Abalimento malo aquo morbida procedit conſtitutio.* morbida conſtitutio & particularum aliquarum poſt modum rurſus ob hinc quaſi ſecundario vitiata conformatio, & totius corporis quandoque interitus, nunquam autem admittam *Aſininum fœtum* obhinc in *mulum* mutari (quæ, aptis demonſtrationibus, ea de cauſa expreſſè de monſtris agens (tam conſpicue ſe habere modo contrario probaturus ſum, ut legentes, quaſi illius ſe oculares teſtes putent) *Sed non animal ſpecie diverſum.* quod animalculornm depoſitores non tantum ſupponere ſed pro præſenti declarare deberent, ſi velint eſſe verum quod animalculum ab *Equo* terræ (nempe matri *Aſinæ*) inſertum aut injectum transformaretur in animal ſpecie differens. Non enim differunt ſpecie herbæ vel plantæ quocumque ſolo ſatæ, ab eadem ovi ſimilitudinis ſpecie oriundæ.

*Ab Europeo & nigrita fœtus fuſci coloris.* Æthiopes cum Europeis conjugati, ut plurumum fætus edunt, fuſco colore præditos: vel quia fætus rudimenta aut initia proprio matris fermento, ad albedinem alioquin tendentia, à fermento auræ ſeminalis patris nigri, ſanguinem nigricare potente ad motum ulteriorem concitantur: vel quia fætus rudimenta vel initia ad nigredinem apte hactenus deducta, ab Europei

Europei patris fermento ad ſanguinis rubedinem cutiſque albedinem deducente, ad ulteriorem pro fætu motum concitentur.

*(Non abſimili modo terrei fætus variant.)* Non ab ſimili modo ſpiritus nitri aëreus ſpiritus mundi, Demogorgon, aura aërea vel aliquid ſimile quocumque modo appellatum, fermenti modo ſe habens, terram fæcundans ſalia metalla quæ producens, in terra partium ſuarum interpoſitu & obhinc ſubſequente motu, terreos varios fætus producit. Immutantur enim terrei tales fætus, ob fermenti mutationem, diverſitatem, majorem minoremve ejus perfectionem, in melius vel in pejus. Ut & propter majorem minoremve terreorum rudimentorum aptitudinem.

*Fermentum tribuit motus & mutationis initia.* Fermenti igitur particulæ tribuunt motum & mutationem ſpeciei. Fermenti nempe ope *Equinum* vel aſininum rudimentum expanditur ut fiat animal *muli* nomine notum: quia ibi fermentum patris, non apte conformatum eſt pro rudimento matris: ita ut patris munere cum fungatur quid diverſum à particulis rudimenti materni: obhinc prodit fætus ſpecie differens.

Non item contingit in herbis & terræ fructibus, qui calore patre progeniti ali-

Non mutatur herba ab humido alimento terræ ſed deficit odor &c.

mento quidem licet vario, vel propter varias & alienas particulas alimento permiſtas, vividiorem & morbidiorem diſpoſitionem contrahunt, obque hinc variant paululum colores, odores vel effectus; nunquam autem obhinc variant ſpecie, ipſæ herbæ vel fructus eo alimento extenſi.

Sed ſemina inde collecta, conſueto ſolo ſata ſunt ſibi ſimilia.

Præterea ſemina inde collecta conſueto ſolo ſi committantur, herbæ inde deductæ morbidam conſtitutionem exuunt, & fiunt ſibi ſimiles etiam eodem aut alio conſuetiori ſolo ſatæ. Non item à mulo & mulæ equi vel aſini producuntur.

*Solo calore ſemina ſuſcitantur.*

Hæc ſiquis bene perpendat, concipiet facile herbarum, ovo ſimillima ſemina vel rudimenta humectata, ſolo calore ad herbarum geneſin tanquam fermento diſponi (quia motu particulæ ibi inventæ diſponuntur ad motum, adque juſtam decentiam & potentiam ejus partes extenduntur, eo motu perdurante, quo humores innato, à primo principio fermento, in motu poſiti ſunt) eoque perſeverante perfici; quamdiu humores, quos ſibi ſua extenſione ad & intrudit eodem modo ac alii ibi inventi vel

*Nil deficiente ſuſcitata procedunt.*

præ-

præſentes moventur, intermiſcentur & inter ſe diſponuntur interque ſe cohærere efficiuntur, & perfectius vel ſufficienter elaborentur: ita ut mixtura quamdiu manet ſimilis & eadem, ejuſque particulæ eandem & perfectiorem inter ſe ſtructuram & cohæſionem conſervent herbæ vel arbores extenduntur longiores & latiores & in vigore ponuntur & conſervantur.

*At ſiquid deficiat ſiant morbida.* At ſi alimentum, nempe partes fermentandæ, vel pabulum fermentationis in aliquo prædictorum (ut de chylo in homine modo dixi & expoſui) deficiat, morbidæ inducuntur conſtitutiones arboribus.

*Et pars vitiatur & emoritur.* Si in aliquibus arborum poris vel à radice procedentibus vaſculis, vel venis vel potius tubis aut canalibus, extenſioni & alimentationi arboris adaptatis; vel obquid internum vel externum, fiat aliquid à conſueto alienum, ea pars ulterior à radice procedens alteratur, vitiatur vel emoritur. Sunt tamen etiam in arboribus tubæ tranſverſim communicantes quæ tubarum aliquarum à radice provenientium defectus medentur.

*Vel arbor fiat cava.* Si jam ea pars quocunque modo alterata humore aqueo (quocumque etiam modo ei communicato) ſuperabundet, illud aque-

um deorſum confluens vel potius compreſſum, malignitate (in corrupta vel in corrumpente parte contracta) verſus radices, partes, quibus verſus inferiora incumbit, corrumpit, arboremque excavat.

*Quomodo ramificationes & excreſſentiæ.* Cum autem per canales vel tubas, magis alibi apertas, & ulterius procedentes vel conſueto modo ſe habentes vel potius anguſtiores, copioſior humor, cuticulam illam ab extra quotannis arborem, infra corticem cingentem, faciat protuberare (vel ſi ſponte vel caſu dilaceretur quod ad partem leviter ea cuticula vel effervescente magis ſucco extendatur) prodeunt ramificationes vel excreſcentiæ, & tuberantiæ.

*An folia & rami monſtroſi fiant.* Si autem quid arborum gemmis vel foliorum initiis ſe inſinuet, iiſque incumbat, miro quandoque modo deductiones vel deductuiæ particulæ ulterius procedentes excreſcunt, & in aliam monſtroſamque figuram extenduntur.

*Quomodo ſeneſcentes deficiant,* Porulis vel tubis vel canalibus in ipſo trunco aut ipſis radicibus ejuſque extremitatibus, jam magis induratis, & exſiccatis, ita ut lentor conſuetus amittatur, fiunt etiam ulterius procedentes tubæ vel canales latiores & quædam anguſtiores forte, aut tales

les ſaltem, ut humorem vel ſuccum vel humoris vel ſucci particulas aliter jam inter ſe cohærentes admittant & obhinc fermenti aptitudo affluxi vel affluentis humoris vel ſucci particulas, ſibi conſuetæ modo aſſociare ſuiſque particulis interponere deſinat. Cumque tanto etiam tum actionis vigore partes & particulæ internæ non agitentur: hinc partes etiam externæ & gemmæ & frondes extendi deſinunt & hinc nec humoris tantam vel ſufficientem quantitatem ſibi attrudunt, & ad mortem arbor diſponitur.

*Et quomodo nimio calore,* Æſtate quandoque nimio ſolis calore herbarum folia & caules ut & arborum folia & gemmæ it calefiunt, ut humores in iis contenti, hinc calefacti aperturas & ſpiraculas quaſdam ita extendant, ut foras prorumpant & avolent, ut hinc folia & herbæ quandoque in ſempiternum exinanitæ exareſcant; vel fermento deſtituantur: quia poroli apertiores aërem non premunt & ſimul prementem alioquin cauſam exhalare permittunt, neque etiam tunc ſibi ſuccum pabulumque conſuetum fermentationis attrudentes, exareſcunt & contrahuntur magis & immutantur & moriuntur herbæ vel arbores. Lenius enim calore tractatæ; porulis minus apertis; humore vel ſucco minus æſtuante & rareſacto, jam tunc

etiam minus avolante: folia & gemmæ, ſolis (circa verſperam, vel quacunque de cauſa alia) calore remittente, reſtituuntur, ſibique humorem vel ſuccum attrudunt, (modo alibi latius deducto) flacceſcentia folia eriguntur & extenduntur.

*Quomodo de ramis arbores.* Si jam arborum aliquarum, brevi, ob nominatas cauſas moriturarum, rami quidam (porulos nondum totaliter vitiatos, neque totaliter exinanitos habentes) apto fermento nondum deſtituti, abſciſſo, humido loco aut terræ imponantur: motu interno fermenti, calore mediante, in humore & pabulo excitato recenter & alias pervias communicato extenduntur humoremque ſibi in & adtrudunt: unde rurſus in longius multo tempus non tantum ſupervivunt ſed in arbores novas excreſcunt; & inde ſi poſt multos annos rurſus abhis arboribus, rami abſcindantur, arbores aliæ pro gigni vel produci poſſunt. Sic ulterius. Qui rami ſi priori arbori affixi manſiſſent, dudum forent mortui, ob pororum pabulum admittentium capacitatem vitiatum in radicibus, & trunco; non item in ramis, quorum in porulis aptioribus calore mediante poteſt fermentum conſervari & induci pabulum ad extendendum tam diu, ut truncus certis circulis circumſcribatur & quamdiu canales aptati ſint, ut ſuccum ſat longinque deducere poſſint,

*Alimento igitur nec herbæ nec animalia mutantur ſpecie.*

His jam ſatis à fermentatione dependentes, herbarum plantarumque productiones, accretiones, germinationes (nunquam matris ſuæ humido alimentatæ vel quocumque ſolo ſatæ) in ſpecie diverſas commutari à me expoſitas puto. Sicut etiam, nec animalia matris ſuæ alimentatione in alienas ſpecies degenerant: Ut ea patris non unigeni geniture aurâ ad hoc deduci, jam ſatis licet probatum ſit paucis his tamen ſequentibus clarius exponi poſſe ſtatuo & confido. A parte patris, fermentum attribui manifeſte hinc liquet nempe.

*Sed patris genitura aura rudimenta.*

*Et matris humores alterantur.*

Dixi enim ſæpius, patris genituræ auram, fermentum neceſſarium, muliebribus partibus vel potius humoribus etiam contribuere tum, cum particulis humorum tribuatur vel inducitur motus, à conſueto diverſus. Quod tam certum eſt, ut hinc deducendum ſit, quod multorum animalium muliebria & (in Venerem incitatorum madentia menbra) deſinent dimittere humorem (menſtruali humori æmulum) unico ſæpe viri ſuperventu imprægnata ſi fuerint: qui mador; quique menſtrualis (ſi ita loqui liceat) fluxus,

*Brutorum fluxus menſtrualis fermento immutatur.*

us, non ceſſaret, niſi multarum ad hoc diſpoſitarum & aptè fermentatarum particularum humoris iſtius, (pro maxima copia) effluxarum, motu fermentativo tum etiam inde propter effluxionem ceſſante: ut hinc quaſi enervatus ſanguis, talibus particulis (ibidem cum variis circa muliebria ab eo ſanguine etiam ſeparatis effervеſcere valentibus) fermentatio, pabuli defectu, deſinat. Poſt paululum tamen temporis (niſi viri ſuperventu animalia impraegnentur & viri fermento ad alia aptentur adque alium uſum & alia deſtinentur & amandentur & effluant apti ad id humores, aut ſanguis iis quocumque alio modo exoneretur) rurſus tales humores abundantes acrius ad Venerem concitant, cumque rurſus ad muliebria majori copia & vigore confluentes, ibidem & circa vicinia ſuo modo fermentantes, partes & ovorum ſimilia rudimenta in ovario ita diſponunt, ut ad ulteriorem (á patris ſeminali aura inducibilem) fermentationem determinentur & aptentur. Et tunc cecedit ab ovario ovum remanens veſtigium cernitur, quod non cernitur ſi ad Venerem ſtimulatio abſque maris ſuperventu ceſſat, humore effluxo.

*(Vel humore effluxo ceſſat)*

*Aſinus pervertet equi fermentum.*

Ab hoc enim fermento & non aliunde eſt, quod *Aſinus Equam* ſuperveniens citius eam impleat

impleat quam *Equus*. A fermenti diverſitate & potentia provenit, quod ſi equus Aſinam ſuperveniat, quam inierat Aſinus non pervertet Aſini fermentum; at ſi Aſinus *Equam* immediate ſuperveniat, quam Equus inierit pervertet fermentum. Contribuet ſuum; vel ſaltem initiatam inde mutationem in Equa deſtruet, non autem contra. Multo tamen magis fermentum Equi deſtruet, ſi unigenæ inter ſe coeant, & aſinus cum Aſina; ab equo prius ſupetventa coeat. A fermento etiam patris eſt, quod gerendi tempus maris normam ſequatur. Quanto nempe ſpatio temporis mas perficitur in ſuo genere. Gerendi etiam tum tempus à fermento terminatur motu fermento ſimili inducto.

*Non Equus Aſininum.*

*A rudimento major fœtus ſimilitudo.*

A rudimento & ab in ovo ſimilitudinis initio, deducendum quod magnitudine corporis, ſpecie, & viribus magis fæminæ quam mari evadit ſimilis qui naſcitur & educiter ex germine matris, fætus. Idem de aliis animalibus experietur &c.

*Et a patris fermento matris humores immutantur & quandoque ſterileſcunt.*

Propter fermentum eſt: quod, qui illorum animalium habent curam non frequenter, ſed interpoſito tempore, jungant ea: quia ſuperventu frequenti alterius ſpeciei animalis

&

& maris, brevi ſterileſcunt. Fermentum enim proprium & innatum fæminarum ad ova & fætus initia aptanda deſtinatum deſtruitur & ad alia diſponitur fermento maris alienigeni: humoribus enim circa muliebria, ſub ipſa imprægnatione ſimul tributo, alienigeni Maris fermento.

Clariſſime Vir non putem me minus devinctum tibi, quod longiori diſcertatione animum tuum curioſarum indagationum & ratiociniorum doctiſſimorum pabulo ſeneſcentem, à conſueto fotte alimento diſtraham. Non putabam me, hanc de ovorum ſimilitudine diſſertationem, alicui viro magis ſcientia & doctrina verſato committere poſſe examinandam, qui te melior omnes has difficultates haberet perſpectas. Quapropter rogo me excuſes, quod tibi laboris & diſtractionis anſa ſim. Sciaſque me occaſione occurrente ad beneficia rependenda officiaque reddenda non defuturum unquam.

Vale

*Vir Clariſs.*

De

De

# MONSTRORUM GENERATIONE

*Epiſtola*

Conſcripta ad Doctiſſimum & Excellentiſſimum Virum

STEPH. BLANCARDUM,

Ph. & Med. Doct.

# TRACTATUS
## De
# Generatione
# MONSTRORUM.

Celeberrimo & Exercitatiſſimo Viro,

STEPH. BLANCARDO.

Ph, & Med, Doctori.

*Rationes meas exponere me dico mutationis fœtuum.*

POſt nimium annuumve fere ſilentium, ad te redeo, animadverſiones quaſdam meas, eruditæ tuæ cenſuræ exponendi cauſa. Dudum, exercitatiſſime vir, indagendo, qui matris animi *pathemata*, tam notabilia commotionis ſuæ *veſtigia*, tenello *fœtui* utero ad hucdum incluſo, inducerent, abſque ullo manifeſt ab aliquo hactenus demonſtrato. Licet, quid ad id varii auctores, ſatis inſtrumento laborioſe conſcripſerint ſedulla ſatis & at-

tenta indagine revolverim, in conſenſum opinionum illiorum auctorum duci potui nunquam.

*Poſt quam aliorum rationes attigi,* Hinc igitur poſt breviter excuſſas, aliquorum, apud modernos magis probatorum virorum, opiniones: quaſdam adferam rationes, ut veritas earum à me adducendarum concluſionum, quodammodo eluceſcat: ex te intelligam quid de meis, variorumque aliorum rationibus (tibi quam mihi notioribus) ſentias.

*Quorum aliqui Sympathetico modo fœtus ſignari perhibent.* Ex recentioribns quidam doctiſſimi ſtatuunt fætus ſignari Sympathetico quodam modo, propter concordantiam aut convenientiam quandam humorum, ipſius fætus cum matris humoribus, animi pathemata excitantibus.

*Alii nervorum communicatione,* Alii perhibent, poſt matris animi motus, fætum afficin, ob peculiorem communicationem nervorum quorumdam, à matris cerebro, uſque ad fætum concurrentium.

*Alii humorum communicatione,* Alii humorum beneficio id effici non ingenioſè probare contendunt, quatenus inter particulas humorum alimentares, forent permiſtæ tam multæ ex iis, in matre pathemata excitantes, ut fætum ſolicitare vel potius ducere valerent ad actiones ſimiles, & hinc

& hinc ſignentur. Vel quatenus humores facultatem aliquam conformatricem ſeducerent à motu conſueto & naturali, ad alium fætum ſignantem.

*Sed nullus hactenus oſtendit Sympathiæ cauſam aut modum.*

Sed quis quæſo Sympathiæ tam manifeſtæ, a priori vel poſteriori probavit cauſas & modum? Et quid partibus Sympathetice ſe habentibus, contribueret motum, quod non ipſe dici poſſet, illius eſſe cauſam. Alio tempore ſatis manifeſtè oſtenſurus ſum, omnes illas actiones ſimpathetico modo affectas, vel falſas & imaginarias, vel demonſtrabili alii, alicui cauſæ, attribuendas eſſe.

*Aut tales nervos.*

Aut quis quæſo Anatomico cultro, nervos illos nullibi viſibiles, à matre uſque ad ipſum fætum concurrentes detexit unquam? quod impoſſibile & falſum cum ſit, de his nil dicturus ſum.

*Aut humores id poſſe, probavit.*

Neque ullis rationibus me induxit hactenus quiſquam, ut mihi videatur probabile, animi pathemata immediatè in matre ab humoribus quibuſdam peculiaribus produci; multo adhuc minus, rationi quadrat, tales humores (qui in matre animi pathemata effici dicuntur) ipſi fætui communicari, illumque ad ſimilia inducenda pathemata; illique hinc notabilia commotionis veſtigia induci.

*Et quare illa negem.* Quod varias ob cauſas nego Nam animi pathemata in matre à peculiari humorum vitio vel diſpoſitione (niſi forte indelirantibus &c.) produci, minime eſt probabilè, quin potius humoris peculiaris ſub quolibet animi pathemathe, peculiarem effuſionem & commotionem, animi pathematis non cauſam, ſed ſequelam eſſe, luce meridiana clarius demonſtrare poſſem; multo ergo adhuc minus humores ejuſmodi effectus, ipſi fætui communicantur.

Non magis quam lac æquiparatur bili, ſuccus alimentitius, fætui, ab irata matre, communicatus: neque unquam propter animi pathemata matris, magis dici poteſt matris ſanguis participare aut inſici bile (cum contrario modo potius ſe habeat) multoque hinc etiam minus ſuccus alimentitius participat de bile, quam acido. Licet ab irata matre proveniat.

*Nam non bilis ſed anima ingrata percipit nervorum ope.* Non bilis in matre ſed nervi, matriſque organa ab ingrato objecto afficiuntur & receptum motum animæ communicant. Et nervorum rurſus beneficio anima mediantè, cogitativo modo contrahitur & diſponitur corpus, tali figura, unde iratus quis dicatur; ſubque tali corporis contracta diſpoſitione, conſtitutione vel fibrarum contractione, impeditur

ditur ſanguinis multis in locis ingreſſus, cogiturque ſimul copioſior ad quaſdam alias partes, adque ipſum hepar confluere: ex quo influxu tum copioſiorem bilis effuſionem ſubſequi, probabile eſt: non ut iræ ſit cauſa; ſed effectus & ſequela. De his alibi.

*Hinc aliam quærendam cauſam, ſtatui.* Ut ſit alia quærenda cauſa, pluribus rationibus ductis, judicavi: nam nudus adſtipilator etiam inſigniſſimorum virorum, recepiendis opinionibus non ſum, niſi eas prius examini ſubjecerim; neque veras rationes indagandi cauſa, immoror recenſendis concluſionibus ex variorum allatis educendis aut eliciendis, licet varia & multa documenta & ſingularitates, acumen ingenii ſapientes inde emergant, principiorum & conſequentiarum (pro maxima parte) imperfectione mihi conſtante. Proprio enim marte laborioſoque ſtudio, neque corpori, neque animo parcendo phænomenon ratiociniorum veritatem quæro.

*Et talem ſtatuo, cujus veritatem quiſque ipſe poteſt experiri.* Hinc cum ex univerſa rerum congerie conſtat, effectum abſque cauſa non eſſe probabilem: cum etiam demonſtratæ non fuerint probabiles aliquæ cauſæ, tam funeſtorum portentorumque tenello fætui communicatorum ſtigmatum

ego meas animadverſiones eruditæ tuæ cenſuræ exponere non vereor, & tales, quas non chimeris involutas, proferam; ſed eo modo terminatas ut quilibet earum habeat penes ſe experientiam.

*Corpus noſtrum conſtat ex anima & corpore & ab his actiones.*

Corpus noſtrum ut notò eſt notius, conſtat ex materia, & ſubſtantia ſpirituoſa vel ſpirituali eam animante. Hæc in prima generatione ita concurrunt ut non niſi iis coniunctis fiat generatio. Et materia, vel materiam conſtituentes particulæ, ita diſponuntur ad agendum, inque actione conſervantur, pabulo continuo accedente & cauſa aliqua motum peculiarem conſervante, anima ſimul ſuum contribuente, donec materia ad decentem conformationem perducta ſit. Niſi materiæ tum Externum aliquod (ad decentem extenſionem) impedimentum ſit obvium; aut quid aliud *animam* à conſueta operatione ſeſeque habendi modo revocet divertat.

*Animæ tamquam formæ tribuuntur actiones a corpore animato procedentes.*

In primis animæ, corpus noſtrum in formanti, ea attribuamus, quæ formæ attribui ſolent & debent (ſi eum loquendi modum velimus conſervare) cumque ab ea diſpoſitione, quæ formæ nomine venire ſolet, operationes ſic diſpoſitæ & in formatæ rei dependeant

pendeant; quæque tantum ob hinc operatur, quod ſic diſpoſita & interſe cohærens ſit.

*Et de ea tamquam corpori juncta loquor prout eſt motus principium.*

An anima à corpore ſeparata poteſt operari, in ſubſtantias ſeparatas à corpore, quod dicitur informare non niſi paucis poſt modum inquiram, eamque tantum in opere conſervari ut coniunctam corpori & prout illud informans, motus poteſt eſſe principium. Neque me movet quænam motuum genera induxerint varii, ut ſibi propoſita commodius exponerent; dummodo motu moveantur movenda & moveri poſſibilia, &, ut ſolent dicere, activa paſſivis applicentur.

*Motus principia non ſunt ſui motus; ſed talitatis motus cauſa.*

Dixi enim Epiſtolica diſſertatione præcedenti, de fermento verba faciens, me ex præmeditato nolle omnia, quæ ad fermentativum motum concurre & contribuere poſſunt, exponere (nam non integram philoſophiam conflare, ſed materiam multum philoſophicam pertractare, animo intendam) hinc breviter dico & addo nil ſe ipſum movet, generat, corrumpit & à ſe motus habet. (de Deo non loquor) ita nec particulæ fermenti ſunt ſui motus cauſa, ſed eas motus initia ſtatuens conſidero quatenus ſua præſentia talitatis motus ſunt cauſa. Cor-

*Animam quandoque dico agere qua corpus animatum agit,*

Corpus humanum agit: & quod agit eſſe corpus & animam ſimul, licet ipſe multis in locis ſtatuam; ego tamen variis de cauſis ſæpe dico animam conſideratam pe ſe, eſſe quæ agit, corpore magis inſtrumentaliter ſe habente, quæ etiam quandoque gratia Dei adjuta corpus diſponit ad talia, qualia eam rurſus deducunt ad ea ad quæ, ſibi cum corpore relicta, non proceſſiſſet: tam igitur principale agens eſt anima noſtra, ut merito concludam animati corporis actiones principaliter, ab anima dependere: animæ enim, actionum bonitas & malignitas imputatur De his poſtea.

*Quia actiones ea imputantur.*

Certum quidem eſt, animam eſſe ſubſtantiam agentem in corpore quod individualiter informat; unde compoſitum homo dicitur: ſed ut ad ea tandem deveniam, ad quæ hæc de anima præmittere volui, inquirendum eſt, an illa anima ſit alicuius effectus in corpus alienum numero diſtinctum nulla anima, vel aliqua alia anima informatum. Nec quid in inanimatis alienis corporibus poteſt efficere hic tractare volo. De fœtus vere animati, (adhuc matris utero & intra ejus circumferentiam incluſi) cum matris

*Sed ulterius inquiro an agat in alio corpore alia anima informato.*

animá

animà, communicatione tantummodo acturus.

*Efficit actiones quia motus eſt cauſa.*

Certum eſt, animam habere actionem efficientem motus, cum, vel in corpore, nam principium illius motus non poteſt non eſſe formato corpori junctum & hinc ab ea informante incorpore conſtituta, tam inſeparabilè eſt (ac rationabilitas ipſa) quod ſit motus cauſa præcipua.

*Mutationis humorum (non ſui ipſius) eſt cauſa ſecundario.*

Hinc dico, eam ſub ipſis animi motibus (licet ſecundario & non actione ab illa intenta ad hoc) corpus ſuum & humores alterare poſſe. Non autem hinc ſequitur, eam ſui ipſius generationis, & ſui ipſius, ovi ſimilimis initiis, cauſam, vel principium inchoatæ fermentationis eſſe, quin potius auræ ſeminalis motui attribuo: Ut & animam fætum informantem,

*Adami peccato inquinata à parentibus eſt.*

Adami peccato inquinatam & pænæ ſubjectam eſſe ſtatuo, quia à parentibus cogitantibus inquinata procedit illa anima cogitans cogitante motu producta, & non a ſe procedens, corporis ſui cauſa eſt. Hinc genitor tam animæ, quam corporis cauſa cujus etiam principii cauſa rurſus ab alio & ſic tandem ab Adamo &c.

Partes vel particulæ omnes cujuſcumque ſubſtantiæ licet moveri dicam ab alia

mo-

*Quomodo activè & paſſivè ſe habeant in motu.*

motus cauſa; moventur & non à ſe. Activè ſe habent quia ſua præſentia talitatis tantum præbent initium : & paſſive , ſiquis ita velit, ab alia cauſa agente agitantur, de qua hic loqui ſuperſedeo. Tantum dico anima non eſt nec eſſe poteſt ſui ipſius & corporis informati cauſa inchoans. Sed talitatis inchoatæ, in multis poteſt eſſe initium.

*Anima tamquam efficiens motus cauſa rem informantem applicat.*

Corpus animatum , quod magis voluntariè quam inanimata motus ſiſtere & ſe ipſum movere dicitur, licet ad perfectius perceptui convenienter rem componat , permutando alterum deſtruat & ad quod commodius putat rem conformet non tam propriè informantis quam efficientis ſe cauſam præbet. Semper enim tamquam efficiens motus cauſa , rem informantem applicando , formam inducit & non talitatis motus eſt cauſa,nam ea a particularum ſtructura provenit quam non animatum corpus efficit. Sed à Deo eſt. Quamquam igitur gratiora & magis neceſſaria ob illam vel iſtam conditionem & hæc vel illa informare dicatur, non informat aut deſtruit prima principia aut particulas primas : ſed eas vario modo inter ſe cohærentes & permiſtas , variis aliis demptis aut additis conjungit qua ac-

tione efficit, ut quid diverſum inde conformetur vel reſultet. Qualium mutationum & actionum magis propria & directa, hoc aut illo modo haberi poteſt cauſa: quatenus majori potentia motiva & voluntaria, mutationis actionem ſubſequentis, eſt cauſa, non informans ſed efficiens.

*Indirectè ab anima inducitur humorum alteratio.* Magis indirectè licet quaſi per concurſum cooperantis animæ, ab anima corpori inducitur mutatio & humorum alteratio: ſed uno tamen modo magis voluntariè quam altro: ſic ſomno, quiete, cibo & potu, calore & frigore, variiſque aliis modis, quo ad corporis ſenitatem, diſpoſitionem variat; calorem & frigus inducit, faciei colorem immutat.

*Et varia alia.* Hinc una animi commotione partes refrigerantur & pallent, quæ alia caleſiunt & rubent. Quatenus ab anima, ſub qualibet animi commotione, corporis figura, ad hoc aut illud agendum terminetur: ſub qua, tum inducta figura, & fibrarum tum facta conſtrictione, ſanguis ab una parte ad aliam ferri poteſt vel cogitur. Ita ut hinc humorum in aliquibus parenchimatis, ſecretio, conſueta impediatur vel acceleretur; non tantum tum fiens; ſed quandoque ad diutius tempus permanens: unde partes tum exſiccantur, varioque alio modo ſe habent:

 bent:

bent aut nimio & depravato humorum confluxu moleſtantur.

*Quæ à Sympathia & quadam divinitate deducunt alii.*

Quos humorum confluxus & partium quoad colores mutationes quidam videntes & cauſam neſcientes, Sympathiam quamdam excogitarunt & finxerunt, inter animam & ſanguinem & ſpiritus (neſcio quos): quandam etiam divinitatem humoribus illis affixerunt, quos obinde ad animæ nutum, quaſi rationis compotes, ad mandata confluere & ſeſe movere putabant. humores quaſi ex voluntate facere & eo confluere, cum putarent, quo fibrarum vaſorum continentium contractione compulſi deferantur. Hinc ſanguinem & fictos ſpiritus poſuerunt, ad varia peragenda, formaliter & effective ſe habere: ad quæ nil niſi per accidens contribuunt.

*Animæ enim non eſt in humoribus niſi corporis medio aliqua poteſtas.*

Animæ enim non eſt in humoribus ulla poteſtas; niſi fibrarum, inſtrumentorum nempe ſuorum ope: quatenus iis mediantibus humorum geneſis, permiſtio & ſecretio acceleratur vel impeditur: unde per conſequens humor vel humores immutantur, qui vario modo, aliis turſus humoribus corporique moleſti vel commodi ſunt.

*Neque voluntarie ad id concurrit.*

Anima voluntate cooperante, ad id non concurrit (niſi ſub

ſub alia conditione per accidens magis) ſed fibrarum alii uſui deſtinatarum contractionis, eſt ſequela per accidens, partibus & fibris quidem voluntariè motis: ſed illis mediantibus tamen humorum geneſis turbatur & alteratur, eaque alterata corporis partes & corpus, ad cujus benè vel male eſſe concurrunt & contribuunt, alterantur.

*In proprio,* [illegible]

Hoc enim modo anima ſe habet, erga corporis proprii mutationem. Quomodo autem ſe habeat erga aliud, quocum non concurrit ad unum quid conſtituendum, vel quod proprio & alieno corpore & anima conſtat inquirendum eſt.

*Multo minus alieno corpore.*

Licet magis remotè morbida conſtitutio inducitur fætui alia anima informato.

Fætui adhuc dum matris ſuæ utero incluſo induci poteſt morbida conſtitutio, quatenus alimento matris vivit vitiato: eoque non confluente moritur; quo etiam turbato confluxu, forte moleſtatur. Quapropter forte quandoque fætus, inquietatus ſibi clauſtra frangit & ſuo motu matrem ad expellendum, id eſt, ad pariendum, inducit. Quod contingere experientia & rationi nemine contradicente determinatus fuero. Quamquam non coincidant meæ illius, cum aliorum, rationes. Quibus dimiſſis, adj ea propero, quæ magis videntur

tur concernere ad propoſita , & ad ea ; quæ communiter perhibentur , talis eſſe poteſtatis & virtutis ut manifeſtæ alicujus actionis , in corpus alienum , præberent indicia. Quatenus , nempe matris anima ageret in humores fœtus ſympathetice vel magnetice cum matris humoribus ſe habentes.

*Magnetica per effluvia quaſi per brachia agunt quod tangunt agitando non autem intentive.*

Volunt quidam corpora magnetica movere à ſe remota alia corpora , tali vi & motus cauſa , mobilia. Quod tamen falſum eſt nam per effluvia quaſi per brachia agunt & quod his non tangunt non agitant nec hoc intentive ſed cauſa agunt (de variis aliis modis magnetice vel ſimphaterice agere dici ſolitis non hic loquar) ſic etiam anima dico non tangit aut non agitat humores proprii , multo minus alieni , corporis , ſed agitat fibras , & per eas eſt, quod agitentur , & immutentur humores , ſuſcipientes hinc mutationem quandam , magis ſecundario & non intentivo modo , inductam.

*Sic nec anima intentive humores mutate*

*Nec ab humoribus animi motus in matre.*

Sed ulterius progrediens etiam abſolutè determino(ut propria diſſertatione alibi faciam) animi motiones ne quidem in matre , ab humoribus humorumque poteſtate varià , induci varias, Cum humorum

rum tum fiens fluxus, effluxus, confluxus vel auctus; vel impeditus, ſit animi motionum ſequela per accidens. Multo ad huc minus illæ matris actiones & animi commotiones mentales, ab ipſa ejus anima, ejuſque facultatibus; percipiendi agendique modo progenitæ; humorum per accidens commotorum ope, aut effectu (ut calore majori minorive) fætui (utero incluſo) contribuuntur.

*Multo minùs in fœtu.*

*Hinc mater iis mediantibus non ſignat fœtum.*

Hinc tum ſequitur animam matris humoribus mediantibus, tamquam per potentiam, ex ſua vel eorum eſſentia promanantem & deductam non alterare fætum utero incluſum & mutare in alienam ſpeciem & monſtroſam figuram poſt animi commotiones.

Neque hoc facit ſuo corpore ut animato neque anima.

Nam neque hoc anima matris poteſt ut cauſa principalis, hoc agens: neque etiam ut cauſa vel aliquod agens quo mediante illud in fætu efficitur, ita ut agens diceretur corpus matris animatum, vel ejus aliqua pars, vel ejus temperamentum vel calor nativus.

(Niſi caſu & remotè fœtui ſenſum inducendo quandoque)

Variis tamen modis induci poteſt morbida conſtitutio, iis jam dictis mediantibus, & hinc rurſus magis remotè,

 tam

tamquam inde per accidens quandoque cætera: nempe ſi anima fætus mutationes morbidas vel quandam diverſitatem à morbidis humoribus inductam, in corpore, ejuſque partibus ſentiens; hinc ſibi ipſi noceat cum anima ſua percipiente mediante, corpori proprio inducit contractionem nocivam, quæ permanens monſtroſæ conſtitutionis cauſa eſſe poteſt, humores etiam per ſe & per accidens deformitatis poſſunt eſſe cauſa. De qua alibi.

Remotius ad huc ejus cauſa dici poſſit humoribus.

Hinc bene concludo nec matris animam per potentiam quandam ſuorum humorum, à ſe ſecundariè per accidens alteratorum, alterare vel immutare fætus humores, aut ejus corpus in alienam & monſtroſam figuram; licet per accidens morbidam quandoque humoribus conſtitutionem inducat unde & rurſus per accidens ab ea aliæ deformitates quædam.

*Anima nil movet niſi corpus quod informat.*

Anima corpus alienum etiam ſuo corpore internum, nec localiter nec extenſive niſi per accidens & aliis mediantibus movet: cum tantum corpus poſſit movere quod vivificat. Motus & extenſio contactu fiunt, alieno enim corpori non jungitur nec illud informat anima, unde ei nec communicantur motus à forma &

in-

informata procedentes; niſi quatenus contactu communicantur & cauſa vel particula aliquæ agentes applicantur, ſi nempe partibus vel membris ſui corporis, fibrarum regimine motis ea moveat.

*De quibus motibus non ago.*

Meminerint lectores me hic non agere de motu, quatenus inducimus alios ad agendum ad quod modi ſunt varii, quos non ad Symphatiam, ſed ad percipientem intellectum deducam: ut cum flentes alium ad fletum, ridentes ad riſum &c. inducimus. memimerint etiam me non agere de motu quatenus, nos moventes ea moveamus quibus inſiſtimus, quæ nobis adhærent, aut ſint proximæ: quamquam illarum motum poſſe nos intendere certo modo dici poſſit.

*Cum agam de motu, an anima corpus aliud externum poſſit movere,*

Sed loquor de motu quatenus inquirendum ſit, an anima abſque animæ alterius intellectu, perſe, nullo medio, quodam affectu, cogitante nempe motu (nam eo modo conſiderata nil niſi cogitare poteſt & corporis organa ad motus diſponere intentive) corpus aliquod externum ſua præſentia non animatum & ob hinc non informatum poſſet movere.

Quod nego eam perſe & ſecundum ſe poſſe corpori junctam, à quo corpore (corpore

*Quod mego nam non niſi, corpore impellitur & agit,*

pori juncta) ad cogitandum impellitur & quo mediante à ſe cogitata alii communicat; quod multis rationibus extendere alio loco intendam.

*Nam tantum corpore agit & corporales potentias movere debet ad externa corpora movenda.*

A corpore igitur incluſæ animæ potentia limitatur in aliquibus; & conſtringitur in plurimis, corporeis ad agendum inſtrumentis. Nam materiæ corporali juncta cum unum conſtituat, non niſi materiales potentias movere poteſt ad res externas movendas. In Angelis & ſolo Deo talis eſt poteſtas & nobis mediante anima noſtra non liceret etiam membra propria paralitica partium cohærendi modo & contiguitate neceſſaria vitiata (corpori licet affixa) movere.

*Hinc corpora calida calorem communicant qua calida & non qua animata ſunt.*

Corpora humana calida phyſicè ſumpta corporibus vicinis, calorem contribuunt vel communicant, agunt hoc in quantum calida ſunt & non quantum animata alterant vel motus contribuunt, tales, quales ego ad monſtroſam generationem, mediantibus animi motionibus à parte matris concurri debere ſtatuo, ſi monſtroſæ illius conformationis cauſa efficiens verè eſſet vel haberi poſſet.

Alte-

Alterat modo jam ſatis inſinuato, matris animi motio, proprium corpus, nullam aliam ob rationem, quam quia ſub qualibet animi commotione corpus in diverſam figuram movet (muſculorum & fibrarum diverſarum contractione ad talem figuram neceſſaria) quo motu vel ſanguinem vel alios humores hic aut illic commorare, huc aut illuc effluere, aut eo copioſius influere cogat. Sic variorum humorum effluxus vel procuratur vel retardatur vel impeditur; cujus præſentia hic, cujus abſentia ibi, (pro modo vario) ſanguis vel humores vitioſam labem contrahunt; prout etiam contractio ſit vel major vel durabilior etiam diverſimode & diverſam. Hinc partes quædam refrigerantur, quædam incaleſcunt: Non quia humores quidam peculiares ad cor confluunt ad animæ nutum vel anima vel cor ad illas partes confluere faciat; mutationes has illis partibus inducere potentes; ſed quin contractionis vel fibrarum contractarum varietate, varia de cauſa, per accidens variantur humores & hinc alterantur effectus, ſitque morbidum corpus matris & mediantibus iis etiam humoribus morbidam conſtitutionem ſuſcipit fætus. Quia inde alimentum ſumit, Non autem

*Quomodo proprium corpus alterat.*

*Non intentive ſed peraccedens humores ſui.*

tem etiam communicantur mediante alimento ea, quæ à matris cogitante motu, tamquam à cauſante effectu, nullo alio medio dependent, & qualia ad monſtroſam generationem requiro.

*Et magis remote per accidens fætus humores,*

Quam monſtroſam generationem vel mutationem alii, ab imaginatione deducunt. Hi ab imaginatione quadam tempore conceptus vel gravidationis putant fætum aſſimulari rei imaginatæ & dolorem imaginatione doloris induci. Hinc inter illos aliqui, nimium creduli, eo dementiæ hæreſi ſeducuntur, ut non tantum imaginatione propria corpora aut corpus incluſum ſuo corpori (opere ab imaginationis effectu procedente) ſed etiam externum immutari ad ſanitatem & ægritudinem deduci & converti; nives pluvia & ventos excitare; agere indiſtans ſine medio, & longius remota dejicere & immutare vel ſe ipſos vel alios invulnerabiles reddi poſſe ſtatuant: Quaſi anima aliquid Deitatis euiſque potentiæ aut fictæ cæleſtis influentiæ & conſtellationis, in unum cogens, contribuere poſſet ſubjecto meditato.

*Multa falſe vel perverſi imaginationi attribuunt.*

Sed his in vanum miſſis, miſerrimorum judiciorum nugis: dico eſſe impoſſibile humores mutari poſſe niſi particu-

*Quid requiritur ad humorum mutationes,*

culatum (ex quibus conſtant) interſe cohæſione mutata vel aliquarum demptarum vel additarum præſentia & interpoſitione mutentur vel ſi particulæ aliter inter ſe interponentur & cohæreant, interque ſe agant aut ab alio agitari poſſint: hinc ſatis eorum error pateſit & ſimul veritas eluceſcit.

*Et quid ad hominum actiones Deus requiri voluit.*

Sciant itaque ab hominibus effici actiones merè animales præſertim ſi quid extra intellectum agant & prout tales ſunt corporali medio immediate rei corporeæ applicato. Nequidem *Angeli* agunt per ſuam ſubſtantiam ſed per potentiam ſuæ ſubſtantiæ attributam, intelligendo & volendo. Potuiſſet quidem Deus talibus attributis vel potentiis homines beaſſe; voluit enim Deus eos minori gratia præditos, Angelis inferiores intra que certos terminos corporali clauſtro limitari. Si petas quare? reſpondeo quia ſic voluit; quia ſic illi placuit: & hinc eſt quod Deus contribuit majorem gratiam Angelis quam hominibus: & hinc eſt quod Deus illam gratiam contribuit huic & illi; majorem etiam huic quam illi: quia nempe ſic placuit illi. (Et quamquam bonitati divinæ repugnare multi ſtatuant) jam poſt Adami lapſum gratias multas

Dei voluntate & gratia convenienter multa fiunt.

multas negat ex juſtitia multis, quam aliis tribuit ex miſericordia nempe quia ſic placuitilli, cui placuit hanc vel majorem contribuere huic potius quam illi. Nam non nobis competit plus interrogare: quare non ſufficientem quam quare non eam vel æque magnam vel majorem ex ſua bonitate contribuerit. Nam ſi ſupponamus hoc bonitati & miſericordiæ Dei opponi, etiam diverſitas gratiæ idem ſupponeret, Si reſpondeant illum eſſe capacem, tali minori gratia, ſibi procurare ſalutem: peto quare major huic: ſi reſpondeatur tali gratia hunc & tali illum aptari, peto unde illa diverſitas prima, gratiâ egentis, huic quæ non illi, nonne quia Deus ſic voluit? quia ei ſic placuit.

Poſt imaginationem ſignantur: ſed imaginatio non ſignat.

Sed ut ad magis propoſita redeam, ſciant licet dixerim; & (ut veriſſimum etiam eſt) ſtatuerim animam noſtram imaginando non poſſe agere in diſtans abſque efficiente medio: non nego tamen poſt imaginationes matrum fætus in utero earum contentos ſignari, ſibi ipſos *dolores, peſtis* ſigna alios que morbos etiam incurabiles inducere: non abſimiles illis & talibus qualibus matres ſibi ipſis nocivæ ſunt: non abſimili enim modo contingit morbos pro incurabilibus tractatos, ad hibitis remediis nullius virtutis quando-

que

que curari (quia ejus cauſa, in fibrarum potius faciliori contractione & humorum obhinc per accidens motu & ſtructura vitiata, alios forte vitiante & mutante, quam verè in humorum aliquo manifeſto vitio, malum ut talem, cauſante) ut alibi expreſſa diſſertatione oſtendam. Non abſimili etiam modo ſibi ipſi nocet fætus ac mater ſibi cauſa eſt, ut lædatur: à cibis cum averſione ſumptis, alioquin bene antea digeſtis & neſcienti ei, & poſtea etiam ſcienti, digeſtibilibus. De cujus cauſa alibi etiam latius dicturus, me confero ad fætus qui matrum imaginatione hactenus crediti ſunt ſignari cum poſt matris imaginationes ſe ipſos lædant & ſignant.

*Quæ imaginatio non agit in diſtans.* Imaginativa illa vis, non agit in diſtans, ſine medio, per ſe directè. Illa enim actio imaginativa prout intelligendi quodam modo generatur vel producitur intellectui immanet & non potentiam ejus exit, nilque in ſubjecto alieno agit: niſi clauſtri ſui organis, diverſitatem ſuæ motitationis (perceptui ſuo convenienter) pro exigentia

*Quare:* contribuat & illæ agant. Quæ organa corporal cum ſint actiones, manifeſtè corporales, motu manifeſto efficiant eſt neceſſe: Et motuum organis perficitur quid quid animæ actionis extra proditur & aliis communicatur ita ut ab iis &

 ea-

earum motu habeamus, ſi aliorum imaginationis & perceptionis ſimus ſcientes.

*Fibris corporeis agit ſi quid agit in alio corpore, & materiale quid ad hoc utitur.*

Fibris igitur utatur, qui quid agere vult, circa aliud corpus, & hinc corporis ſui partes movendo movet illud, patentià his tributà & à phantaſia diſtinctà, quæ cogitatio cogitantis eſt. Dum quis movet ad præmeditatas partes, cognitione, voluntate & motu concurrere debet, quæ etiam tamquam mentis ulteriores actiones, imaginationes aut phantaſmata ſequntur, & his, pro majori facilitate, corporei clauſtri ſui organa concitat, quia pro voluntate vel potius appetitu & majori organorum facilitate, corpus meditato convenienter movemus. Nam anima mediante terminantur ad motum paratæ partes.

*Non poſt leves ſed graves imaginationes mutantur humores manifeſto.*

Poſt ſimplicem phantaſiam non alterantur in nobis humores manifeſtè: ſed manifeſtius ſi gravius animi motio ſubſequens graviorem corporeis organis & membris & fibris contractionem inducat: ut hinc humores, in conſuetè motu locali moti, immutantur, propter particularum aliquarum nimiam ſeparationem, aut nimia copia alibi remanantium & ſtagnantium, aut aliquarum particularum inter ſe motu, diſpoſitione

tione aut cohæſione mutatarum additionem: hinc morbida & facilitatis quædam inducitur conſtitutio, ſed non partim ejuſque figuræ mutatio: niſi magis per accidens.

*Imaginatio eſt cogitativa non vegetativa.*

Phantaſia eſt potentia cognitiva non autem vegetativa, à majori igitur appetitu inducitur talis corporis conſtitutio & partium contractio, ut humorum hinc ſequatur immutatio, non intentata ſed accidentalis: Licet multi contractionibus mutationibus quibuſdam aſſueti, ſibi hinc quaſi volentes ſint nocivi. Sic doloris cujuſdam poſſumus in noſtro ipſomet corpore eſſe cauſa, valida partium contractione licet ad id non intenta ſit ſed quaſi inevitabilis appareat; & manifeſtioris alicujus mutationis humorum quatenus ea mediante humorum conſueto fluxui ſumus impedimento. Nunquam autem propterea ſpecies & partium conſtitutio in alienorum animalium figuram mutatur: nonquam Europeorum albidus color imaginatione nigreſcit; neque Æthiopum nigredo albeſcit: non incaliſcet incaleſcere volens, neque ſatiatur eſuriens ſine aliis adhibitis remediis.

*Nam non imaginatione albeſcit Æthiops.*

*Sed imaginationi ſubſequitur alia mentis actio.*

Imaginatio vel phantaſia quidem multarum actionum poteſt eſſe cauſa, cognitiva &

ulteriori actione ſubſequente magis accidentaliter (ut modo expoſui) humorum perturbationes & alterationes & morbidæ obhinc conſtitutiones inducuntur tam proprio quam alieno corpori, nempe fætus corpori matris ſuæ utero incluſi; vel pueri lactantis, quatenus alimentum vitiatum præbetur non autem in alienis corporibus non habentibus communionem ſimilem niſi illis exhalationum immediato & reali contactu (activa paſſivis ut ſolent dicere applicando) maligni quid communicatur: vel niſi illi alii, eorum imaginationes ſcientes, videntes, audientes, percipientes concurrant ſimili in ſe actione & organorum contractione; non per Symphatiam aut aliquam aliam convenientiam; ſed cogitativo modo producto ab anima percipiente & pro potentia in proprio corpore agente.

*Et etiam alterius animæ percipientis actio.*

*Et hinc fætus ſe ſignat.*

Et hinc concludo non ſignatur poſt matris imaginationes fætus in utero concluſus, niſi fætus cogitativo motu ſibi obſit inducendo contractiones.

*Non mater, cognoſcitive cum agat,*

Matris enim imaginatio quæ cognoſcitiva eſt non poteſt agere in ſubſtantias reales & corporales proprii ſui corporis, modo ſæpius negato, multo minus in ſubſtantias

tias alienorum corporum neque id cognitio poteſt etiam quatenus appetitu & animi paſſionibus eſt prævia.

*Nec hoc facit motu ſpirituum & humorum.* Quod intenſa matris cognitio vel imaginatio non ſignet fætum, multi quidem docti concedunt. Sed cum ſignari perhibent in momento accedente appetitu & ulteriori hinc animi commotione, idque motu ſpirituum & humorum. Sed hoc etiam nego: cum nec ipſa mater, niſi ſecundario, ſibi ipſi morbidam conſtitutionem inducit. Neque etiam in matre animi paſſiones humorum beneficio excitantur Niſi forte in aliquibus ex iis quandoque quos delirantes & inſipidos & melancholicos dicimus & in aliquibus qui rident vel flent, abſque quod alius aliquis, illius videat cauſam: quia illi humorum perverſo motu, in fibris ſenſui dicatis ita poſſunt affici, ac afficiuntur alii (ac ipſi afficiebantur) tali objecto occurrente aut ſe affectos taliter quacunque de cauſa ſentientes. Quod multis extendere non eſt hujus loci.

*Licet abhumoribus morbida conſtitutio.* Latius expoſui diſſertatione præcedenti a parte matris contribui fætus rudimenta & alimenti vitiati ope morbidas conſtitutiones ab ea induci, quapropter inde quandoque per accidens conſequatur

corporis indecens conformatio: ut & in brutis fieri poteſt cognitione carentibus.

*Et a genituræ aura ſpeciei mutatio.* Dixi etiam ibidem parentum genituræ aura vel fermenti ope immutari ſpecies nempe primo alimentantis initio, vel humorum ad extremum vitæ ſubſequentis & perdurantis ſimili permiſtione & geneſi.

*Sed non poſt matris imaginationes à matre ſignantur.* Sed fætus ſuo modo, vel eo jam dicto, nempe humano, incepti non ſignantur & ad alterius animalis formam deducuntur ab imaginatione matris originem ſumentem.

*Neque virtus aliqua conformatrix immutatur.* Dicunt aliqui (quorum rationes ſaniores multi putant) matris animi motionum & humorum beneficio omnia, circa fætus mutationes evenientes, attribui non poſſe) aliam cauſam aſſignantes potentiamque aliquam conformatricem, phantaſia aut imaginatione mutari. Atque hac ratione inconſuetiſſimarum mutationem in fætus puſillo corpore fieri ſolitarum cauſas aſſignaſſe ſibi videntur. Quem aut qualem tamen effectum in proprio corpore efficere non poſſe, aliquam hominum conſtanter affirmo. Licet concedam & ipſe gratis addam, valida fibrarum contractione & ſubſequente hinc muſculorum & particula-

rum

rum tam valida, in certam figuram vel ad quid agendum, contractione, ut ſit permanens & vix reducibilis partium conſueta diſpoſitio. Sic gravi inſtrumentorum bellicorum ſonitu audito, quidam ſurdi facti ſunt, ſic quendam diutina & fortiori ſtellarum inſpectione, ſcio ſe ipſum viſu unius oculi, privaſſe. Sic male morati ſeſe luſcos faciunt. Sic faciei valida contractione ſe alienos faciunt apparere. Hinc Gallico loquendi modo aſſueti ad alios loquendi modos videntur vix ducibiles: quia conſuetudine linguarum nervi, certo modo moveri ſoliti, ad alienas vix deducantur mutationes. Sed hi dico ſe immutarunt facientes imaginatione præſcribente: non quatenus virtutem conformatricem immutarunt: ſed quatenus partium formatarum motum, conſuetudine reddunt facilem fibrarum ope & tam quandoque facilem ut reduci vix poſſint ad alienas mutationes & contractiones aut actiones.

*Rudimenta extendantur non tam formantur*

Fætus etiam exigua rudimenta, dixi à matre adminiſtrari aptata, ut alio motu vel fermento extendi poſſint & ad varia, conſuetudine aptanda & facilitanda: ita ut eo tempore, cum fætus nomine nobis veniant, non formentur, ſed extendantur & ad quaſdam actiones & affectus aptentur.

Ita

*Hinc negandum dico conformatricem virtutem immutari & exhalationes ad id & varia ſimilia quidquam poſſe.*

Ita ut ruat quidquid virtutis alicui formatrici poteſtati attribui dicunt humorum beneficio, cum explicatio & extenſio potius dicendum ſit rei alicujus jam formatæ quidquid fætui accidit: ut & ruit ratio quam imaginatione, virtuti alicui formatrici, ad inurenda ſtigmata attribui fingant & hinc patefit, nimia eorum credulitas, qui eo devenerunt, ut putarint, imaginationem actu per veram & directam effectus potentiam res externas immutare: varia ad hoc inducentes exempla, à ficta poteſtate, fictorum ſpirituum & exhalationum deducta, qui ſpiritus quæ exhalationes qua verſum dimiſſæ, in obviis & longius diſſitis & mediatis corporibus particulas ſimiles iis unde dimiſſæ ſunt; aut ſibi ſimilibus, ſed alio modo motis, motum & effectum imaginatione communicarent, ſimilem iis unde imaginatione deductæ ſunt: quæ exhalatæ particulæ præterea imaginatione jam libero aeri commiſſæ ad certa longius diſſita ſubjecta directæ, poſſent ea lædere, morbos, ſanitates inducere & ſibi vel voluntati alterius ſimilia facere. Quod tamen negandum dico ſicut etiam negandum eſt oculis inflammatis, aliorum oculos ut & irati animi ſpiritibus, alieni corporis ſpiritus

ritus ad iram concitari poſſe. Sed me hercule peto qua ratione ductus aliquis crederet vel affirmare auderet quod unquam aliquis oculorum vitio laborans inſcium cæcum, eo morbo affecerit aut inſcium non videntem nullis aliis mediis, adhibitis ad iram, ſpirituum & exhalationum tacitè effluentium medio concitare ſe poſſe aut concitaſſe unquam auderet ſibi perſuadere hoc cum non poſſet quis; neque etiam mater inſcio fœtui ſtigmata inurit nec inurere poteſt.

*Et variæ quæ ad exhalationes referuntur ad intelligentiam alterius referenda ſunt.*

Concitabit autem bene ſcientem & aptius quo ille magis habet rationes iræ alterius perſpectas & quo magis iratum amet & quo magis ad ſimiles actiones aptatus ſit mente & corpore & conſuetudine & variis aliis, ex animæ actionibus reſultantibus, quadam conſuetudine & facilitate ſimul concurrentibus. Quia talia à cogitativo motu procedunt & proprio motu voluntate & perceptione aut fibrarum facilitate nativa aut conſuetudine inducta leviter cogitans ſibi nocet & ad varia componit: tam qui ſibi morbidam conſtitutionem inducit fætus, quam modo natus commiſerans vel ad ſimiles animi motus ſe componens.

Cujus rei & effectus ignari plurima viribus

*Et uno ſubjecto attribuunt quæ aliis ſunt attribuenda.*

ribus imaginationis attribuerunt, quæ non ei imaginationi ſed alieno ſubjecto competant: cujus ſunt effectus cogitante motu inducti.

*Non imaginatio, nec humores matris, nec imaginatio nec humores fœtus ſignant: ſed intentiva contractio.*

Licet ergo poſt graves matris imaginationes & animi motus fætus ſignentur, figura ejus mutetur & varia vel aliena fiat unius vel plurium partium: nunquam matris imaginatio eſt localis iſtius motitationis in fętu efficiens: ſed aliquando caſus: vel imaginatio ipſius fætus & ſubſequens ipſius fætus animi gravis commotio, partes proprias vario & fortiori modo, & modo etiam à ſe meditato, contrahens: nec etiam humores à matre alterati, pro alimento ſuppeditati, inducunt mutationes tales fætui, licet morbida quædam conſtitutio eo deducenda ſit; unde per accidens maculæ, notæ, & variæ aliæ monſtroſæ deformitates, quæ ipſis etiam Brutis evenire ſolita ſunt. Non vero tales ſignaturæ humorum ope, humano aut brutali fætui inducuntur, quæ dici poſſint notæ determinatæ ad ſimilitudinem earum rerum imaginatarum & matris animam commoventium.

Nequè etiam neceſſe eſt anxia aliquorum deductio, qua inquirunt an vel imaginatio

*Hinc ruit doctorum anxia inquiſitio & partibus & humoribus attributio alicujus ſcientiæ.*

natio vel animi paſſio ſignet vel per ſe vel humorum. aut ſpirituum ope: an conformatrice quadam facultate per ſe an humorum & ſpirituum ea conformatrici ad id ab imaginatione ſuppeditorum ope. Quaſi imaginationi major eſſet virtus in ficta aliqua facultate conformatrice: quæ inde illius ſibi attributæ virtutis intelligens, quaſi ſcienter mandata executioni mandaret humoribus fœtus revera partes extendentibus regimen & ſcientiam & obedientiam ſimul contribueret: & ut ad illas meditatas vel imaginatas partes vel hi vel ille confluerent, ibique confluxi vel hoc vel illud agerent & partes hoc aut illo modo extenderent.

*Humores compulſi qua data via confluunt.*

Qui tamen humores partes extenſuri nulla ſcientia aut obedientia aut voluntate præditi à corde depulſi, quaqua poſſint compriguntur & fluunt; cum in curſu peculiares poros habeant obvios, peculiaribus aliquibus ſuis particulis poris, quibus pro ſtructura poſſint, impelluntur ſaltem aliqua, (cæteris alibi impulſuris vel per magis patentes vias redituris vel potius propulſuris) ſui parte, quæ ibi agens

*Et redeunt.*

vel agitata, ob continuatum in corde & a corde inceptum

motum

motum & fermentum varium, inducit partibus corporis extenſuris, formæ aut ſpeciei quandam differentiam (cujuslibet rei fermentatjo niſi quid obſit ad certum tempus dirigitur unde interna quædam mutatio deducenda) cum partes pro poſſe tam á parte extendentis quam extenſuri rudimenti mutationes & formas ſuſcipiunt. Sciat igitur lector, multa a fortuito humorum, rerum, & cauſarum in curſu præter conſuetudienem evenientia in mutando fætu vim habere, quapropter inuſtis notis & ſignati prodeunt: ut maculæ & partium indecens extenſio, cujus prævia non fuit imaginatio.

*Et fortuito modo multa fiunt.*

*Vnde virtus aliqua conformatrix ficta apparet*

Poteſtatem aliquam conformatricem, rerum conſueto ordini, neſcio quare affingant, cum non ab aliqua ſeparata facultate dici poſſint formari ſed particulis in actu poſitis & certis poris tranſeuntibus ibidem cum inventis confluentibus & confluxuris coeuntes, cohærendi ſuo modo vel rudimenta vel corpus ſunt, quod humoribus ſuo modo, pro poſſe inter ſe motis; pro poſſe extenditur. Ita tamen ut illud poſſe non ſit voluntatis alicujus facultas ſed particularum cohærendi modo convenienter.

*Quomodo conformatio fiat.*

Qui

*Et quomodo deformitates multæ inducuntur*

Qui cohærendi & extendendi modus in ſuo modo vel poſſe impeditus impedimenti iſtius præbet ſigna. Hinc ſi rei alicui duro directe incumbat fœtus naſo ille non extendetur more conſueto ſed planiori forma, quæ non à virtute aliqua conformatrice, hæc videns & ſciens quaſi voluntariè ſic formatur, ſed inter extendendum in planum cum cogitur, prò poſſe vel multum latius extenditur, vel aliquando extendi cum non poſſit, tantum duobus foraminibus ſe ejus locus manifeſtat vel alio modo pro poſſe convenienter extenditur ita ut variè hinc varietur non immutata aliqua potentia conformatrice, intentivo modo ſe habente: ſed quia humorum internorum motu & compulſi, partes pro poſſe extendendæ, ita tum extendantur, ut poſſint, re autem externa, ſua planitiæ aut exteriori forma ſe offerente & ei inducente, modum & formam remotè ſatis quia illud quod internè extendit impeditur. Et hinc aliter extenditur & formatur.

*Quæ longe à conformatrices aliqua virtute & meditata actione abſunt.*

Meminerit ergo hinc lector partes non expræſcia, ſcientia, quadam facultate intentivè conformari: nec etiam humores extendentes agere ſcientià præcia & intentivo modo, per-

H vir-

virtutem conformatricem: ſed motu pulſifico cordis & proprio ſimul fermento eo appulſi: partes extendentes, eas extendunt, quo ad poſſunt extendi, perſe & liberè; & impedita ea extenſione quoad impedimenta permittunt.

*Humorum extendentium ope varia de cauſis mutantur.* Meminerit etiam lector me aſſignaſſe & adhuc aſſignaturum, corpus poſſe humorum extendentium ope variis de cauſis internis variari & etiam eos humores variari quatenus motu locali, eas citius fluere, nos moventes, cogimus; vel alibi proparte remanere vel conſuetas ſeparationes accelerare vel impedire poſſumus, ſola fibrarum contractione. Meminerit etiam me determinare ſola fibrarum contractione etiam fœtum variari.

*Bina monſtri cauſa eſſe poſſunt.* Hinc quaſi binæ dici poſſunt monſtroſi partus cauſæ: una interna: altera externa. Et ab his binis etiam procedit longevitas, morbida conſtitutio, figura, color, magnitudo & ſpecies.

*Sed hæ non poſſunt matris imaginatione regi.* Sed neutri harum communicatio eſt cum matris animi motionibus: ergo hæ motiones nullius per ſe ſunt potentiæ ad immutandum fætus, utero incluſi, figuram, colorem, magnitudinem, ſpeciem, bonam vel malam; ad corporis ſanitatem

rare m, conſtitutionem, quæ motu partium & particularum perfici debent. Nam nec partes extendendæ, agunt ſecundum exemplar: ſed procedunt propulſi per vaſa & aperturas, modo quo pelluntur & prodedunt per vaſa & aperturas pro ut habent eas (pro partium ſuarum figura vel cohærendi modo) pervias duces: neque etiam agitantur interſe & cum aliis obviis ad cohæſionem, inter ſe & aliis ad hæſionem, motu cogitativo, præſcripto aliquo exemplo convenienter, ſed vegetativo & jam nominato modo.

*Quia alia de cauſa fiant.*

*Ita ut nec matri nec conformatrici obedientia præbeatur.*

Ad exemplar animæ matris non ſubeunt rationem, ea concurrentia, jam nominata: neque alicui conformatrici imperat anima. Nam matris imaginationes aut animi motus cum actiones ſint ab intellectu procendentes, ſuſtentatæ: non poteſt niſi quid intelligens ejus exemplar meditatum ad actum ducere, ſed tale quid non competit omnibus iis quæ ad extendendum fætum concurrunt. Nam ea cum non ſint intelligentia matris intelligentiæ non poſſunt fieri participia.

*A brutis ſignati fœtus non prodeunt.*

His eo deductis antequam veram ſignati fœtus cauſam latius explanem; quædam reſtaut examinanda. An etiam bruta edunt

ſignatos fætus. Non eſt neceſſe rem tam impoſſibilem multis explanem. Monſtroſosfætus ab iis procedere experientia conſtat: ſignatos vero nunquam, nempe animi motionis præmeditato exemplari convenienter.

*Quomodo ergo locus Gen. 30. intelligendus ſit.* Aliquid tamen contribuere videtur quia legitur *Geneſeos* 30 à *Deo* mandatum fuiſſe Jacobo Patriachæ: ut caperet *virgas* virides *Amagdalinas* & *Populeas* hinc inde *Decorticatas* (ut coloris apparerent diverſi) canalibus aquarum indendas, ubi mane convenirent oves ejus potatum ut oves acciperet Jacob diverſi caloris vel potius ut fætus ederent oves variegatos.

*Et quæ reſpondenda.* Ad id reſpondeo eum creaſſe res in initio ut hinc mutatis mutandis & factis faciendis, nos mutationes cerneremus intempore. Et quædam ad hoc vel illud agendum mandavit quod ſine his potuiſſet fieri. Quare autem hoc fecerit, & ſic fecerit, non ego ſumo in me determinare ſic Abrahamo injunxerat ut Iſac immolaret quod tamen factum non fuit & tantum injunctum uti habent litteratores ut eum probaret: dicam tamen, potius ut ille ſe ipſum probaret, Deus enim ſciebat & noſcebat ipſum. Quare ergo fecit? Nonne quia ſic placuit illi.

Ut

Ut etiam Jacob obedientia aliqua comitante, & magis in Deo fixa mente ſuſciperet benedictionem ſequentem, tamquam à Deo tributam mandata præcedere voluit. Signatæ & variegatæ ſunt oves non quod ovium imaginatio ſignarit quæ ſignare non poteſt (nec eſt) ſed ordine convenienter in tempore prodierunt quæ creavit in initio Deus. Quare ergo mandavit alia addita: nonne quia ſic placuit illi.

*Et quæ tentare poſſunt.* Si enim quis ſemper, hoc ſi eri ſibi imaginetur, quare ovibus non objiciunt res variorum colorum, præſertim talium, qualium lana non facile recipit aut imbuta conſervat diutius. Rem enim efficeret maximo ſuo commodo. Non eſt neceſſe ſe excuſent lanam in ovium pectoribus excreſcentem ſua ſponte, non recipere, niſi binos illos colores nempe nigrum & album; nam objicerem varios etiam auctores cauſam alborum volatilium, Aquilarum, vulturis, perdicis, corvi, urſorum & variorum aliorum (cujuſcumque conſueto modo ſint coloris) animalium in Norwegia & Groenlandia genitorum vel immutotarum, à nivium, aſpectu ſolo deducentes.

*Varia alia ad hæc concernentia explicantur.*

*Unde albidus calor animalium in Groenlandia.* Quam tamen coloris mutationem ego deducerem potius alia de cauſa inductam nempe

quod non æſtuat tam continuatim & fortiter eorum ſanguis illis in partibus : cum mnlta animalia, quaſi mortua ſine motu & cibo in antris abſcondita reperiantur (ut & hic varia inſectarum genera, pertotam hiemen) ſanguinis enim particulæ rigentes, non tam continuatim eo ad cutim ad pilos peferuntur & quæ eo delatæ modo ſunt, frigore à cæteris ſepatatæ immutantur & exſiccantur vel avolare permittuntur, quibus ſeceſſis variorum animalium pelles (non abſimili modo ac cera lavata ſolis calore aliove modo albeſcit) nam albeſcunt potius hieme quam æſtate.

*Vt & homi-num in locis his vicinis.* Ipſi etiam homines in regionibus his vicinis a longo tempore ſucceſſive progeniti & à parentibus ibidem natis producti, non ita, nigricant cute, aut crine, quam in Aſia, Africa, Hiſpania, &c. quarum regionum incolarum ſanguis nigrior & æſtuantior, nigricantes & tingentes particulas longius & magis continuatim defert ad externas partes & crines. Quod æthiopum ſanguis nigricaret ſemper & plane falſum eſt. *Vnde colorum varietas & crinium nigredo.*

Animalia variis coloribus imbuta, nullibi quam in his regionibus (copioſiore nive diutius tectis) quidem albeſcunt : ſed non à nivium aſpectu id fieri concedo & oſtendi : nam albus color rubris anima-

libus

libus multo difficilius contribueretur & inducer etur quam rubedo albis (nam albedo illis induceretur particularum ſeparatione & ablatione : rubedo tingentium contributione & delatione) ovibus, cum ovibus rubedo ſit tam propria quam albedo vulpi quæ abnivium aſpectu induceretur illa quaſi albedinem ſibi imaginanti & imaginationi non magis implicaret particularum humores conſtituentium inter ſe cohærendi modum & ſtructuram (unde reſultat coloris varietas) immutare, quam eas ſuo exemplari & meditato convenienter, quaſi manu ad has vel illas partes ducere & deductas cohærere facere.

*Vnde albedo.*

*Et quid ad inducendum colores requiratur.*

Et hinc foret facille, illo caſu pro verò poſito, omnibus animalibus peregrinos & inſuetos colores, variorum rerum aſpectu, inducere & ſibi procurare vel boves vel oves, aves, gallinas, vel canes, virides & alio colore imbutos. Sed hæc dicta ſunto facienti Apollinis magni nomen attribuam.

*Bruta non diſtingunt colores nec imaginantur.*

Ad ſcribant monſtroſas irrationabilium animalium de formitates, caſuales & fortuitas & à peculiari aliqua alia & manifeſta cauſa procedentes, irrationabilium animalium fictæ imaginationi & ab ea humoribus

moribus & conformatricis virtutis facultati tributas. Ego non agnoſco talem facultatem cum ab intelligentia & rationabilitate quadam procederet, ſi tale quid operaretur, quam in animalibus brutis & ipſis humoribus non ego reperio, nec ſacra ſcriptura agnoſcit.

*Nec plantæ cognoſcunt & intentivæ agunt nec appetitu ducuntur.* Quam virtutem, cum, in animalibus ad varias actiones & effectus admittant: eo progeſſerunt ut plantas dixerint cognoſcere & eas alimentum ſibi è terra ſugere, appetitui ſuo convenienter; relicto alio.

Cum certum ſit eas tantum admittere humores aqueos (& non ſugere nec attrahere) varios vel diverſos, pororum conformationi convenienter: pro ut nempe ex diverſio minuſculis vel minimis particulis, inter ſe cohærentibus conflati ſunt, ut extremitatibus eorum pororum intrudi poſſint. *Sed humores admittunt pro pororum diverſitate.* Qui humores vel homorum particulæ inibi innato fermento, ulterius (vel fermento, ex iis humoribus, primo poſtquam terræ mandatæ ſunt, ibi inſeminio rudimento, delatis & ex iis ibidem inventis vel innatis particulis, ſuſcitato) diverſificantur: eæ jam eo delatæ humorum particulæ vel poſt illud tempus ulterius admittendæ.

Hinc

*Nec corporis noſtri partes appetunt.* Hinc etiam omnibus noſtri corporis partibus varias agendi & cognoſcendi facultates attribuerunt & eas alimentum appropriatum appetere & attrahere prodiderunt, ut unam melancholiam, aliam bilem &c: alias, hinc tradiderunt etiam cognoſcere & diſtinguere alimenta & excrementa. Sed his & multis aliis ſimilibus rationibus ad chimeras miſſis, deſinam: earum enim ſaniores rationes ex modernis aliquibus ſcriptoribus quæri poſſunt: ſaniora de his judicia promentes.

*Poſt rationalis hominum motus ſignantur fœtus.* Solis enim animi motibus hominum, ſequuntur ſignati fœtus (quia rationales ſunt) ſed non ita evidenter omnibus (prævalet deſiderium & terror) & potius ſubitaneis maximè moleſtantibus & diuturnioribus; omni etiam gravidationis tempore: ſed quædam ſigna induntur magis primis, quam ultimis gravidationis temporibus, quædam rurſus ultimis. Variant ſigna & ſigni modi: variat & ſigni locus, ſimilem cauſam licet ſequatur.

*Qui facilius ſignentur.* Sic fœtus matrum faciluis commotarum, facilius ſignantur; & eo ad huc facilius ſi etiam à ſe ſunt ita conſtituti fœtus ut facilius a tali re afficiantur & ad tales motus concitari poſſint vel concitentur: ſic unus inclinat facilius ad iram,

iram, alter ad fletum: quia objecta eadem, moleſtiori animæ ſenſatione fibras afficiunt in uno quam in alio. Hic aliqui patientes dicuntur rebus quibuſdam occurrentibus, ſi non iraſcantur: cum tamen illud patientiæ ſignum, longe abſit à vera patientia & virtute; vel potius contrario modo ſe habeat. Nam quandoque ſe non diſponunt ad iram: quia rem non percipiunt tamquam nocivam, ex conſuetudine. Hinc in aliquibus locis & mentiri non aſſuetis dicere mentiris intollerabile eſt, quod in aliis ne quidem movet. In aliquibus locis ad venereas actiones faciles ſunt in aliis rurſus tales actiones ab obinabiles; in aliquibus locis ad ebrietatem faciles & proni, abſque ullo dedecore ad ebrietatem feruntur cum in aliis ſint perjuri nullius æſtimationis. Patientes etiam quandoque dicuntur qui non iraſcuntur aliqui videntes ſe incapaces eſſe ad omnia quæ iratum animum ſequuntur, vel quia ſunt incapaces ad ſe defendendum ita ut præ timore & debilitate ſit quod virtuti attribuitur. Sic etiam quandoque fœtus non ſignantur ob partium quandam non appropriatam conſtitutionem ad tales animi motus. Et corporis conſtrictiones & contractiones.

*Et unde variant ſæpe ſenſus & animi motus.*

A parte matris non ſignatur tam facile fœtus,

*Unde à parte matris non ſignentur facile.*

fætus, ſi ea ſit fortis, magnanimis, prudens, animoſa, non facile timens nec perterrita, nec facile deſiderat nec nimium moveatur; quia ſe ratione regit. Non ob inde quod humores non contribuat ſuis animi motibus affectos conformatrici virtuti ut alii dicerent ſed tantum quia anima matris minus nec tam durantes commoveatur.

*Quomodo mater divertenda & ſeducenda.*

Signatur facilius fætus poſt commotiones perdurantes graves intenſas vel continuatas. Et minus ſi non ſint ita fortes vel perdurabiles. Minus etiam ſi varia alia occurrant ſimul perpendenda: ita ut animæ intentio eo imaginatione alia divertatur: Si deſiderium grave aut diuturnum, terror ſubitaneus & magnus & perdurans concomitetur; cauſa etiam ſæpius oblata & repetita; ut & etiam ſi ſimul occurrat cogitatio de fætu. Hinc aliquæ mulieres ut divertant matres, ſubitaneis quibuſdam caſubus oblatis, dicunt fac hoc, vel hoc, & variis aliis rationibus animam diſponunt ad quietem & diverſionem.

*Unde pueris jam natis deſideria & appetitus.*

Leviſſima deſideria ſi perdurent fætui non tam manifeſtè nocent; nec inurunt ſigna externa ſed quandoque internam partium & fibrarum perceptui alicui dicatarum

tatum

tarum inducunt facilitatem ita ut ob hinc quando recentea nati pueri deſiderent, tempore gravidationis deſiderata a matre quod que fletu ſine manifeſta cauſa commonſtrant; forte ſæpius & ob hinc etiam renuunt & ab horrent à matre faſtidita.

*Quomodo imagines & pulchrorum conſortia gravidis proſunt.*

Non abſimili de cauſa aliquæ mulieres gravidæ pulchras ſibi procurant ancillas, ſervos, picturas, formoſorum conſortia, ut eos intuentes, nam tum intra ſe cogitantes anima ſua mediante vel cogitativo modo, corpus ſuum componunt tali figura, ut & faciem cæteraſque alias partes ac ſi tales ſe facere vellent: & talis imaginatio vel præmeditata corporis & partium contractio prodeſſe poteſt vel proderit; tali in caſu.

*Poſt terrorem maxime ſignantur.*

Poſt animum perterritum maxime ſignantur fetus: quia hic effectus eſt omnium maximus & efficaciſſimus, conjuncta cum valida partium & muſculorum contractione & compreſſione: & ſummo & ſubitanio impetu etiam fortiſſimos movet & proſternit, ad ſempiternum facit palleſcere, tremere, vertiginoſos eos & animo deliquentes in terram projicit cordis palpitationem, varios morbos in-

*Terror quomodo matri noceat & mors quandoque ſequatur.*

curabiles & mortem ipſam inducit: nullam aliam ob cauſam, quam quod partes propter variam, firmiorem multarum partium contractionem per durantem, ultra modum extenſæ vitiantur; ſicque quandoque permanent; dum aliæ quædam laterales ob hinc flacceſcant & laxentur. Hinc etiam humores partium externarum diutina contractione ad interna coguntur & comprimuntur ita ut hinc cor officio ſit impar & ſanguine in eo immoto ſtagnante, moritur quandoque fortiſſimus homo vel vir & fortiſſima mater etiam, & facilius adhuc multo fætus, matris utero incluſus; matris poſt animi motus, quia anima ſua mediante eos percipit; ſicut cum parentibus ſenſualiter concludentibus peccat & peccato inquinatur.

*(Fœtui terror communicatur.)*

*Iram lætitiam dolorem triſtitiam &c, & varia alia,*

Nullam aliam ob cauſam irati, mæſti, terrefacti, læti, ſubitaneo & gravi dolore affecti pereunt. Hinc etiam eſt quod capite damnati, ſimplici alicujus rei etiam innocuæ attactione quandoque mortui conciderunt: nil horum poteſt tribui (humorum beneficio) fætui. Hinc pallent vultu, variarum ad eſt partium tremor, excrementorum motio; vocis tremor quæ omnia contingunt; quia valida multarum partium & fibrarum contractione, cæteræ

partim ob humorum in vicinas & proprias influxum & effluxum nimium, partim ob earum minorem tenſionem & majorem laxitatem, non niſi difficile & interruptè ad neceſſaria moveantur & tendantur. Hinc etiam dejectiones involuntariè excrementorum, partim ob laxatas fibras partim quia a ſanguine copioſius ad interna parenchimata vel viſcera delato & pulſo, multorum humorum fiat copioſior ſecernatio; hinc rurſus in internis moleſtior inter eos conflictio, & ibidem ſenſatio & expulſionis major cauſa.

*Quo tempore ſignentur.* Quotidiana experientia docet ſignari fætum gravidationis tempore: ſed quo potius tempore id fiat exactius: an conceptus? an gravidationis tempore? diſputatur à multis: ſed ego ſignari nec poſt imaginationes patris nec matris putem, ſaltem congredientibus parentibus. Nam conceptus ſequitur actum vel ſaltem iis jam quaſi ab actu ceſſantibus potius quam agentibus.

*Non itam manifeſta in initio.* Hinc ſiquid tum contingat: morbidam conſtitutionem corpori communicari & cætera quæ à fermento procedere propoſui concedo attribui poſſunt (cogitante motu, initiatæ animæ cogitanti. At ſignari fætum ut hic diſputatur poſt imaginationes negarem niſi mater de re tum ſibi vel patri occurrente,

te, conſcia, manifeſtam poſtea in imaginatione ideam tracter.

Rei enim Venereæ intenti nulla ita, graviter animo perpendunt, niſi talia quæ ad actum juvant & ſtimulant & non quæ animam fortiter adalia diſtrahanr &c.

*Quæ deformitas primis,* Gravidæ enim primis temporibus ſæpius variarum rerum deſiderio & appetitu ducuntur, & turbantur & variis de cauſis etiam facilius & gravius: illius tamen puto primis imprægnationis (vel potius gravidationis) temporibus manifeſtiora ſigna vel indicia induci: illis etiam temporibus graviora & notabiliora induci poſſunt ſigna, magis etiam à conſueta alicujus particulæ, aut à notabili partium figura, & numero, ſtatu conſueto organiſationis recedentia; quam ultimis imprægnationis temporibus: oſſibus nondum aliquam duritiem adeptis facilius mutilantur: licet quovis tempore ſimilis ſignatura poſſit induci.

*Quæ ultimis contingat temporibus,* Si tamen ultimis fiat temporibus tale quid, prominere magis putem eas partes, & carnoſas magis eas, ſe manifeſtaturas, & magis fibrarum menbranarum & nervoſarum motui regibiles. Et hinc ſi à primis gravidationis temporibus procedit partium quarumdam paralyticarum diſpoſitio viſitioſa aut nulla aut exigua aut minor eſt

earum extenſio quam ſi ultimis gravidatio·nis temporibus vitiarentur aut vitiatæ fuerint.

*Vnde colligendum an diu ſignati fuerint.* Inde jam colligendum eſt, quodammodo, quod qui primis gravidationis temporibus mutilati ſunt fætus aut nil aut exiguum illius organicæ partis viſibile habebunt. Nempe ſi ſignati ſint, poſtquam mater viderit, aliquem una manu vel crure paralyticum aut etiam orbum, aut vulneratum. Quia tum aut parum aut nil illa pars extendatur gravidationis tempore ulteriori.

*An immediate vel non diu ante partum,* Si autem immadiate illo viſo ſequatur abortus, menbra potius vel ſaltem ſæpius conſuetis & aliis ſunt ſimilia, ſed quandoque vel ſæpius paralytica: niſi tractentur & moveantur; & quandoque etiam vario modo contorta & ſic ſemper permanſura niſi apte diſponantur & moveantur & contractenter medicamentis aptis.

*An ſignentur pluralitate partium,* Pluralitatem partium bene conformatarum non concedam poſſe induci & adhuc multo difficilius, quam ovorum lanæ viridem colorem: quia fætus anima nullam habet ad hoc in humores poteſtatem ut ex præcedentibus eſt manifeſtum: hinc dico non induci pluralitatem partium bene con-

conformatarum nempe brachium, habens manum, digitos apte figuratos, flexuras, nervos, venas & arterias. Si tamen quandoque fuerit viſum, hoc factum eſſe puto modo poſtea latius explicato. Habere tamen poteſt quid ſimile appendens fętus.

*An amputatione partium,*

Si enim ultimis gravidationis temporibus mater viderit alicujus manum amputari: & partus immediate ſequatur; ſignatum forte reperies fætum, manum paralyticam aut contortam habentem aut etiam amputatam, trunco adhuc cruentato, de cujus cauſa poſtea.

*Quomodo magnitudine capitis ſignentur,*

Magno aliquo membro aut capite fætus ultimis etiam gravidationis temporibus poterit ſignari: ſi mater de tali capite cogitans, caput ſuum ita videtur velle diſponere & fibrarum ope partes contrahere, ac ſi illud vellet extendere partes inferiores pactoris ſimul contrahendo, in ſe ipſas comprimendo, humores iis expellendo & ingreſſum iis ſanguinis impediendo, ſub qua corporis conſtitutione& variarum partium contractione, caput ſanguine repletur, diſtenditur & externe rubeſcit (ut facile quilibet in ſe poterit reperire: ut & ipſis cacantibus & graviter ventrem comprimentibus quodammodo videtur

contingere) quia ſanguine & humoribus turget. Concipi etiam poteſt, fortiori tali perdurante compreſſione vaſa tam minima, quam majora hinc, tali motu perdurante, poſſe diſtendi, & continuata vel repetita ſæpius tali contractione, ea vaſa extenſiora manere poſſe, & incraceſſere hinc partes (quod meminerit lector in fætubus eſſe facilius perficiendum, cujus partes ſunt minus ſolidæ) non aliter ac iis contingit qui manu dextra fortius & gravius laborentes illum habent craſſiorem quique tum inter laborandum magis ſiniſtro pedi inhærentes, ut bilancem vel æquilibrium ſervent corporis; eum etiam habent fortiorem & craſſiorem: ſubſequentibus variis corporis partibus quarum aliquæ (ut & quandoque faciei dextra vel ſiniſtra pars) manifeſtæ magis incraceſcunt, quatenus ſuum contribuunt ad equilibrium illud ſervandum: vel quatenus ſub illa corporis conſtitutione & variarum partium contractione, humoribus turgere diutius & gravius coguntur eæ vel etiam aliquæ aliæ corporis aut cerebri particulæ aut partes: quibus hinc inducitur manifeſta (licet non tam apprehenſa vel apprehenſibilis) mutatio, quæ partim eum motum humorum (jam nominatum) partim nervoſarum ipſius particularum contractionem, ad bilancem præmeditatam aut ſubſe-

ſequentem aut ad operandum neceſſariam ſequitur ſponte.

*Quomodo dorſum curvatum habentibus quibuſdam inducitur miſera faciei contractio*

Non ab ſimili de cauſa miſera & peregrina (ut dicere aliqui ſolent ſimiis ſimillima) faciei contractio & figura, etiam formoſiſſimis alioquin ante pueris, & ipſis quandoque etiam viris & fæminis (dorſum curvatum habentibus vel accipientibus) in ducta eſt vel inducitur: quæ, ſi curentur, quodammodo & multum, & aliquando totaliter, dorſo curato evaneſcit: ut ſæpius inter eos curandum fui expertus. Nam tales multos duorum aut trium menſium ſpatio (ſed præſertim juniores) ſoleo curare. Reperitur tamen miſera faciei illa conſtitutio in iis præſertim in quibus muſculi & nervi manifeſtius, ab una, quam ab alia parte, emaciati, exſiccati & compreſſi ſunt etiam in collo quibus tenſis & in brevius redactis, laterales multæ, inter cerebrum, & partem inferiorem (ubi illa abbreviatio incipit) relaxantur: cum etiam ab alia oppoſita parte, antagoniſtæ vel ſimiles partes, fibræ, nervi, muſculi & menbranæ gravius & fortius tendantur & conſequuntur etiam à latere iis multæ infixa vel affixæ magis tendantur & quædam laxentur, ut alibi forte exemplis & delineatis quibuſdam particulis clarius exhibebo.

Sed ut redeam ad matres vel matrem caput extendere meditantem. Percipiendum facile eſt, illam non poſſe tam manifeſtè proprium caput extendere ob ſoliditatem partium, quæ minus extendi & dilatari poſſunt. Poteſt tamen id fætus, in ſui corporis partibus minus ſolidis, matris intentativam & meditatam actionem ſequi volens. Sed quo id mediante & quomodo poſtea.

*Imaginatione matris non multiplicantur fætus.* Falſum eſt quod fætus matris imaginatione poſſunt multiplicari numero, cum non poſſint multiplicari particulæ. Licet forte obſervatum ſit, quod poſtquam caſualiter (aut aliam ob cauſam, alibi forte exponendam) de triplici numero cogitationes inductæ fuerint gravidæ alicui mulieri, quæ poſtea tres edidit fætus.

*Vnde talia figmenta procedunt.* Plura talia figmenta, ab etiam doctis alioquin proferuntur: quæ cum pueri inter ſe narrarunt & illis pueris aliquando expoſita fuerint ut redderentur attenti quæque poſt modum ſenes, tamquam vera, ſibi reſervant & exponunt: præſertim iis, qui nimium creduli, ſe potius in turpem admirationem conjiciunt, quam proprio marte rationes inquirunt.

*Partes poſſunt de eſſe.* Partes poſſunt de eſſe, ſubito ablatæ, & locus cicatrice

rurſus

rurſus tegi; aut non extenſæ ab initio ita ut nil ejus nec etiam cicatricis appareat;aut primis gravidationis temporibus ejus extenſio ceſſare ut nil ejus; aut aliquid & exiguum quid deformæ conſtitutionis, conſueto vel longius inde diſſito, loco, appendens appareat, ut poſtea.

*Quænam requirantur ad ſignandum.* Alienæ figuræ non inducuntur, vel quid appendens fætui, poſt imaginationes matris non attribuitur: niſi tale, ad quod materia corporis eſt apta: Et quod quodammodo naturæ ordine convenienter per ſe taliter excreſcit: vel pro ut pars aliqua, anima mediante, intentive contracta ſæpius & fortius vel permanenter ſic conformatur & à conſueta hinc figura deducitur: vel quod ob immediatè ante dicta cauſa poſtmodum; aut ſponte; vel parti alicui vicini incumbens & loci anguſtia & partium vicinarum permiſſu excreſcere certo modo cogitur, ſanguinis aut humorum etiam immutato, majori, minorive confluxu multum contribuente. Sua ſponte, poſtmodum, & loci & partium vicinarum permiſſu, excreſcere poteſt: Sanguinis etiam immutato, majori & minori confluxu multum contribuente.

*Nunquam ſunt lapidei aut ferrei.* Hinc nunquam mater producit fætus lapideos, ferreos, leones, centum pedes aut manus

nus habentes: licet quandoque tres vel quatuor pedes aut manus habentes fætus viſi ſint: illa vel non ſunt vera appendentia, vel minime quo ad internam vel externam figuram & ſubſtantiam ſimilia de quo paulo infra. Videmus etiam pilos & ungues varia forma mutari, ut & colores partium: ſed fiunt quodammodo naturæ ordine & conſuetudini materia convenienter.

*Nec veris fructibus ſignentur.* Sic quædam fructibus & variis aliis rebus ſimilia ſignati fætus exhibent, non ſunt veræ res tales quo ad materiam ſimiles: ſed tales tantum ineptas quaſdam, macularum modo, ſimilitudines; cicatrices modo quodammodo eminentes & ſe manifeſtantes; & potius dicenda ſigna talium rerum, quarum mater putat ſe habere cauſam: fiunt & inducuntur ea, modo etiam retro expoſito.

*Nunquam ſignatur fætus humanus cani ut ſit ſimilis.* Nunquam etiam ab homine producetur ſic ſignatus fætus, cani, quo ad omnes partes ſimilis (niſi caſu aut alia forte non nominanda de cauſa, aut in Deo potius quam in humana voluntate aut imaginatione quærenda) licet quandoque producat caput, pedem, aut aliam aliquam partem caninis partibus ſimilem habentem: quia mater non omnium, canini corporis

corporis, partium, ſimul uno & eodem tempore, tam perfectam ideam habet ſibi præſentem; ut omnes, omnium canis partium, functiones (pro ut agendum illæ canis partes diſponuntur & modo ab humanis alieno ſua peragunt) ſimul ſuis diverſis corporis partibus velle exercere, poſſet ſibi illa mater imaginari. Nam non nos varia uno & eodem temporis momento, diverſis noſtri corporis partibus diverſimode peragenda, poſſumus incipere (nempe unum oculum ad illud latus & alium ad partem obverſam convertere & diverſas reſputa muſcas, per aera volitantes manibus apprehendere & ſimul altera manuſcribere, ſed bene rem unam apprehenſam vel apprehendendo aliam meditari & agere alternatim. Et tamen tam celeriter ut quaſi ſimul diverſa agere appareamus.

*Quare facilius ſignatur una pars quam totum corpus.*

Sic mater, leonis poſito figuram, concipiens & intra ſe meditans, ab una ejus parte ad alias procedit: ſed ſi jam vellet totum corpus ſuum miro quodam modo contrahere ac ſi in omnibus ſuis partibus leonis etiam omnium partium figuram vellet inducere & leoninas actiones fingere, non poſſet id aliqua perfectione; liceret ei aliqua pedum tantum & manuum rudi contractione & magis rudè,

ſi

ſi ſimii capitis figuram velleт addere ſuæ imaginationis actioni: nam ſic ſeſe potius à leonina figura diverteret, ad quid confuſe: exactius vero multo poſſet ſi peculiarem aliquam partem imaginatione ſua tractaret, una parte aliqua ſui corporis magis ad ſimilia agenda aptata ac ſi actiones leoninas configurare vellet (nempe meditando ac ſi fibrarum ſuarum aliqua contractione eam partem ſuam ita vellet contrahere prout contrahere deberet ſi actionem talem, talis animalis particula fieri ſolitam vellet exhibere); nam tum non eſſet illi tam difficile, intentionem ad unam aliquam ſimilem actionem intendere, & validiorem contractionem ac hanc actionem perfectiori modo continuare in una ſui corporis parte, quæ perfectio quam maxime eſſet neceſſaria: nam diverſitas diſtrahit animam & corporis actiones conſequenter.

*Quia plurima ſimul intendere nec percipere poſſimus.*

Hinc eſt quod triangulum melius nobis imaginemur, quam aliquid centum angulos habens: quia cogitando, ſemper conſulentes ſenſuum organa, non poſſumus niſi unum angulum ſimul concipere, ad cæteros procedendo ordine. Sic facilius nobis imaginamur triangulum, quia citius ab uno & à primo ad alte-

*Quare triangulum melius quam mille angulum percipimus.*

alterum vel ſecundum hinc ad tertium procedendo pergentes, triangulum in imaginatione intentivo modo formamus.

Et hoc in nobis clarè experimur, volentes aliquid concipere quatuor vel quinque angulos habens; ab uno enim tum ad alios angulos procedimus: & aſſueto tale quid facere illud eſt facilius: quia fibras quas conſulit & utitur habet magis diſpoſitas & paratas.

*Quæ faciliùs ſignantur.*

Partes igitur facilius ſignantur, quæ aliqualem habent ſimilitudinem: nam caput non ſignabitur pedis figura, ut leonino pedi ſit ſimile, faciliùs autem manus & pedes quæ etiam partes ſunt exteriores: quia exteriores magis intentativa contractione ad plurimas actiones, contrahi poſſunt.

*Eæ nempe quæ fibrarum medio animæ ſubjiciuntur.*

Eæ ergo partes facilius ſignantur & conformantur ad ſimilitudinem partium aliarum animalium, quas magis habent homines multarum fibrarum regimine in ſua poteſtate, & ſic facilius partes faciei, manus, pedis, quam aures; quia nulli aut pauci habent motus aurium in poteſtate.

*Hinc concludo anima mediante ſignari.*

Ex his & variis aliis manifeſtè poſtea concludam ſolà potentia animæ, ad corporis partes regendas deſtinatà procedere

 cedere

dere ſignandi modum. Quia illæ partes magis & facilius ſignantur, quæ animæ regimini majori facilitate & copioſiore uſu ſubjiciuntur.

*Et quare re eadem oblâta non ſemper eodem modo.*

Ex his modo ante dictis etiam certo conſtat; re & caſu ſimili, diverſis matribus ſe offerente, fætus diverſos (ob hanc ſimilitudinem) non ſignaturos eodem modo: nam diverſitas dependet à parte fætus, à fibrarum ejus ad agendum majori minorive facilitate, & imaginandi modo (tam a parte matris quam fætus varia etiam de cauſa mutante): concurrit etiam materiæ diverſitas, quæ quoad minima & exiguarum particularum commutationem (ob cauſas ante ſæpius memoratas) animæ regimini non ſubjiciuntur nec ea reguntur: & hinc commutari, cum ab anima non poſſint materiæ particulæ intentivo modo, fætus, non ſignantur rebus intenſioris viridis & rubri coloris; ſed his ſimilibus, ut magis levidis & flaveſcentibus. Materia enim at tantum animæ non ſubjecta eſt & hinc omnes rerum ſignatarum aliquando maculæ non ſunt niſi quodammodo & ex matris relatione aut aliorum indigitatione rebus imaginatis ſimilia.

*An color immutatur.*

Nigræ mulieres forte edunt albos fætus, culpam conjicientes in picturas; in gravem ab Europeis

Albis inductum terrorem: forte ut malignitatem & adulterium tegant. Fidant, quibus placet major fides. Tegant quæ poſſunt: mihi cogitatio vagatur: Contingere poſſe admitto, an ſemper contigerit, caſu ſimili ſe offerente, dubitari poteſt.

*Et an non caſuales deformitates male conjiciant ad ſignandi modum.*

Certum etiam eſt caſuales multas deformationes monſtroſas, & fortuitos eventus, imaginationi attribui: nam mulierculæ enorme & inſuetum quid in fætu occurrente, recolligunt omnia gravidationis tempore peracta, & ſi quid reperiant ſimile ſe vidiſſe vel audiviſſe, caſu factum ſignaturæ attribuunt: ut & ſignaturæ adſcribunt eas monſtroſas productiones, ad quæ Dei voluntas rudimenta voluit in tempore produci (uti de ovibus Jacobi dixi) ut homines hinc habeant & ſuſcipiant ideas alicujus boni vel mali.

*Cum ſignatio intentivo modo fiat ab anima percipiente.*

Sed ut tandem eo deveniam, ut oſtendam quomodo fætus matris ſuo utero incluſus ſe ipſum ſignet, poſt matris aliquas graves animi commotiones. Meminerit lector me matris animi commotiones deduxiſſe ab anima ejus percipiente & ſigna ex quibus animum commotum concludimus, eſſe intentivos animæ

effectus. Nec me objectio movet eorum, qui forte dicent biliosos (putantes eos qui copioſiori bilis effuſioni ſubjecti ſunt) eſſe ad iram magis pronos & eos hinc à bile iraſci.

*Et non à bile commota.* Iis ego reſpondeo bilioſos aliquos tales eſſe caſu & fibrarum hepatis, quacumque modo inducta, laxitate & vaſorum bilis generationi vel ſeparationi inſervientium nimia apertione & ſanguinem lymphamque reducentium difficiliori (quomodocumque inducto) tranſitu, aut alibi denegato aliorum humorum exitu.

Quod enim irati vel iraſci facile ſoliti, copioſioriis bilis effuſione ſæpius ſubjecti ſunt experientia conſtat ut multi perhibent, quod pro vero poſito bilis illa facilior effuſio, non iræ tum hinc eſt cauſa ſed effectus (ut partim ante expoſui & ex profeſſo de animi motibus acturus, latius agam) nam exinde colligi ſatis poteſt, quod cum ira à perceptione ingrati alicujus objecti dependeat, à bile iræ cauſa deduci non poſſe: nam bilis minime (ratione carens cum ſit) ingrata diſcernit, nec iis afficitur, ut ad commovendum convoler.

*Nam bilis nec percipit nec ad commovendum convolat.*

Debiles & morbidi vel valetudinarii in varia (pro partium ſuarum majori facilitate

*Quare debiles moleſti.*

tate & conſuetudine) animi pathemata vel commotiones incidere ſolent: nulla ſane alia de cauſa quam, quod ſuo modo morbo intenti, moleſtius ferant ſe diſtrahi aut turbari. Sic etiam hilares fugunt triſtes: & triſtes ob gravem aliquam cauſam, ſubitania hilaritate magis vexantur quam recreantur.

*Et quare diverſi fœtus non eodem modo ſignantur matribus diverſis eadem re commotis.*

Inde colligi poteſt, vel ſaltem concludere ego audeo, non omnes etiam fœtus eodem modo moleſtari: quia non reperiunt omnium fœtuum animæ fibras æquè faciles, ad idem agendum. Sicut etiam diverſæ prægnantes matres licet idem objectum habent obvium illud eodem modo animo convolvunt, & perpendunt neque illius ideam eodem modo & iiſdem cum circumſtantiis penes ſe conſervant: & cum etiam eodem modo ad ulteriora ſe non diſponant etiam incluſis fœtibus animæ commotionibus moleſtæ ſunt vario & non eodem modo.

Scio, nos, oſcitantes ſi videmus ad oſcitationes nos metipſos componere, idque eo facilius, ſi vel ad ſomnia magis inclinemus vel poſt paucum ſomnum humidiori aëri (nil grave animo aut corpore agentes) nos exponamus. Scio libenter cantantes facili negotio (niſi gravis aliqua

*Quomodo ad ſimiles actiones deducimur.*

cauſa impedimento ſit) ad cantum per aliorum cantus allici. Scio hilares hilaritati potius congaudere quam triſtes.

Sed quis mihi negabit eos vel alium per actiones manifeſtas & cauſas & rationes probabiles ad ſimilia concitari & confluere intentativo modo quia hæc videns, illa audiens, anima cum delectetur, ſentiens ſimul corporis ſui ad ſimilia facilitatem, quia fibras habet aptatas vel uſu vel a nativitate ad tales actiones) concurrat quadam libertate, quæ ab anima percipiente & intelligente intentivè procedit: Et non ab humoribus, qui nec percipiunt nec agunt, inducitur.

*Anima agente magis neceſſaria.*

Hinc dico etiam actiones illas eſſe actiones animæ: Sed tales, cui anima poteſt reſiſtere, quod ſi non facit, conſentit corpori, nam ſi concurrat abſque ulteriori cogitatione illis motibus, dependet à corpore cui ſuccurit complacendo & non agendo ſua. Quæ anima gravior intenta, non patitur à levi cauſa ſe diſtrahi. Magis neceſſaria apparentia agit pro modo quo in examinando proceſſit. In operationibus ex præmeditato perſeverat: Hinc muſica luctuoſis moleſta, gaudiumque ſummum ægrius ferunt & non niſi à levibus incipiendo facilè diſtrahuntur: Et rebus ſeriis, quæ gaudio

gaudio minimè ſunt ſimiles levius ferunt, ſe à ſua triſtitia diſtrahi & revocari.

*Ita & fœtus concludit quamquam nec audet nec videt oculis.*

Sed ut modo dicta applicem rei cujus gratia ea præmittere meditatus eram. Primo concludo utero matris ſuæ ad huc incluſus fœtus, ſibi ipſi eſt nocivus: quamquam ingrata vel grata nec audeat nec videat, quibus pro facilitate (ſæpius memorata) nil gravius animo moliens ſe aſſociat tamen.

*Et tamen percipit quæ mater.*

Videt rem aliquam mater: eam viſam mater averſatur. Non videt talem corporeis oculis fœtus humanus: tamen fœtus ob, abinde, inductam averſionem & remanentem rancorem & motum læditur. Quia ſe ad ſimiles commotiones diſponit quæ permanet diutius.

*Nullus ſimile de brutis affirmat.*

Multi concedunt bruta irrationalia, res quaſdam viſas, ſommopere abhorrere: tamen non audent affirmare & experientia demonſtrare terrorem eſſe tam nocivum beſtiali vel brutali fœtui, ut unde ſignentur niſi aut caſus aut motus ſubſequatur, talis, ut hinc fœtus cum ſecundina contigua vaſa, vel membranæ, vel ipſa ſecundina laceretur aut divellatur.

*Et quid inde concludo.*

Non putem virum Philoſophum reſponſurum. Id non con-

contingere quia brutis non eſt Sympathetica ſimilitudo inter fætus & matris humores: vel nervorum ille excogitata communicatio & progreſſus deeſt illis: vel bilis, iræ cauſa, in matre cum beſtiali alimento non communicatur brutali fætui. Nam in iis inter homines & bruta non admittenda eſt differentia.

*Et aliam ſignaturæ cauſam pone.* Aliud quid ergo ſit in cauſa clarum & veriſſimum eſt: nec ſufficit quod multi ſemetipſos in admirationem conjicientes, mirabilis alicujus naturæ operationi hæc attribuentes, ab inquirendo ſe retineant. Cauſa enim probabilis ſedulo indagatori adeſt.

*Nempe animam.* Animæ beneficio, fit communicatio fætui illarum, quæ in matre ab anima dependent. Animæ enim ſuæ potentia ſe ipſum ſignat fætus.

Tam multi nævis ſignati fætus bruta non edunt quam rationales homines intellectu & anima præditi: Licet in iis actiones fibrarum attractu convenienter fiant humanis ſimiles; ut cum irati & perterriti animi vel potius corporis præbent ſigna. Quia tamen ratione, quia anima, quia effectu animæ carent, non inurunt ſtignata fætubus ſuis. Nam nulla eſt in iis communicandi via aut potentia, quam ea, quæ mediantibus humoribus, alimento dicatis, peragitur: atque ea, ut late ſa-

tis

tis à me demonſtratum eſt) ad hæc non contribuit. Quare canes prægnantes, quocumque modo ad talem diſpoſitionem, licet ducantur, ut iraſci dicantur? Quare manu verberatæ? Quare lapide vel baculo projectæ? Quare ab aliis animalibus demorſæ, quare quocumque alio modo vulneratæ? Quare cibo vario tentatæ, projectæ aut alio aliquo modo graviter affectæ non abortiunt & ſignatos & vulneratos edunt fætus? Nulla alia ſane de cauſa, quam quia anima rationali carent.

*Et ea carente brutis fœtus non ſignantur.*

*Feritas fermenti ope communicatur & à rudimento eſt.*

In generationis initio communicatur etiam à brutis aliquid vitæ cauſa vel quod germini aptato det ulterioris operationis certo modo principium. ſic færæ beſtiæ feritas ſimul cum vitæ cauſa communicatur; non tam humorum, pro alimento contributorum, poteſtate quam rudimento innati & è genitura ſimul procedentis fermenti ope. Hinc eſt quod habeat corpus ad inſequendum & occidendum prædam aptatum: Et illud eſt opus primi conditoris, qui voluit ut fætus, à tali cauſa initiatus & habens motus initium, ſit ſuæ ſpeciei ſimilis.

*Deo volente.*

Irati corporis figuram præbent ut perhibetur, bruta quod ſi animi commotionis

ſit

*Non humorum diverſorum commotorum ope diverſi modo ſignantur.*

ſit ſignum inductum ; à ſanguine copioſioris bilis permiſtione aptato : Quis mihi negabit etiam bruta, humoris commotionem excitantis copiam ſuis fætibus debere communicare, & etiam talia ſigna & ſtigmata iis inuri, ut corpus vel corporis quędam partes quandoque in aliam figuram & formam convertantur: Quod tam[illegible] non fit: Sed Monſtroſi partus earum beſtiarum originem ſumumta partium ſpontaneo motu, a partium compreſſione, a ſibi invicem vel alterius rei implicatione vel ab alio tali ſimili modo ante non nominato & nequaquam etiam imaginationi vel imaginatione inducto.

*Humani fœtus duplici modo ſignantur.*

Sed de fætuum humanorum ſignatione loquens, binas diverſas monſtroſi partus cauſas ſtatui (quamquam tertiam aliquam, non in commode adderent alii, nempe dum rudimenta ab initio à Deo aptata ſponte prodeant monſtroſa ita ut cauſa hujus non aliunde á fortuito & mutationi magis proprio & ab homine aſſignabili effectus modo, originem ſumat) & hinc dixi niſi externum aliquid, ſufficientem materiæ expanſionem impediat: aut anima à conſueto munere revocetur: u[illegible] monſtroſi duplex generationis cauſa innoteſceret.

*Externe & interna.*

Gravis

*Interna ab animâ.* Gravis enim aliqua cauſa, aut idea matris animam gravans & ob hinc fortem cerebro & fibris impreſſionem imprimere cogens; ſi turbet animam matris: idem & fætui utero incluſi contribuitur, unde ejus anima à conſueto munere (nempe quieto conſenſu, quo materiæ motum conſentiendo fibrarum ope juvat & obſervat) retrahitur.

*Et ea mediante animi pathemata matris ſentit.* Matris animi pathemata ut & vulnera rerum gratarum denegatarum & opportunius oblatarum ſigna tenello fætui communicari; non eſt, qui, aliqua ratione probabili neget: cum hoc quotidiana experientia duce, omnibus ſit perceptibile & hujus veritatis plurima portentoſa exempla innoteſcant.

Majori enim incommodo, tenello fætus corpori hæ animæ ſenſationes & omnia ſubſequentia (quæ mihi animæ commotionis nomine veniunt) contribuuntur vel inducuntur, cujus tenera ſubſtantia in omnes figuras facile ductilis, *Et res meditatas corpori ſuo imprimit fætus.* recipit figuras (a matre, ſic meditatas ut partes affectas vel tactas vel meditatas contrahat certo & determinato modo) cum partes ſuas anima ſua mediante, intentive ſic contrahit, ac ſi contraheret mater, ſi rem

qua

qua tacta eſt, ſuis tactis menbris vellet imprimere, ita, ut externam ejus rei meditatæ formam, ita ſuis in partibus ad id intentivè contractis admitteret, ac ſigillum ceræ cum imprimitur) à cera admittitur. Vel ac ſi omnibus ſuis membris vel menbra tacti fibris, corpus a quo tangitur, ſecundum omnes partes ex quibus illud componi judicat, vel obſervat, a ſe repellere tentaret. Et hinc partes & partium fibras eo modo contrahit & eas quaſi applicat intentivo modo, re a qua tangitur, non aliter vel non abſimili modo ac ſi dum lenteo vel teniæ incumbentem lapidem elevatis lintei extremitatibus de pellere conaretur: illud linteum eo loci ubi lapis incumbit, diutius & gravius cum deprimatur, gravius aut moleſtius & tardius ad depellendum videtur commoveri & eo loci magis reſiſtere, & tali forma ac lapidis ſuperficies externè exhibet, gravius deprimi: ita ut lapidis ſuperficiem (quaſi ſentiens) inſe recipiat. Sic mater partes tactas vel meditatas contrahit & diſponit ac ſi eas quandoque diſrumpere vellet vel diſrumpi aliove modo vulnerari videret vel dilaceratas obſervaret & conſervaret, vel vulnerum labia quaſi contrahendo applicare & claudere volens.

*Ut & mater percipiendo vel(?) ...*

Hæc jam corporeis matris fibris meditari

ri & agi poſſe, tantæ veritatis ſtatuo, quanta ſufficit ad hypotheſim conſtruendam ex his modo enarratis; Et ex variis meis editis & edendis litteris & diſſertationibus luce clarius ulteriora poſt modum patebunt.

*Et ſentit cum vel per corpus.* Hoc tamen hic addere & repetere cogor. Non ſentire partes ſed animam per corpus: nam tam arcte eſt matris corpus cum anima ejus combinatum, ut nec corpus ſentiat aut agat, ſine anima, nec anima ſine corpore; nam corporis inductu agit & ſentit. Hinc matris anima affecto corpore commovetur efficitque hoc intentive] ad illud conſervandum & tuendum ab ingrata ſenſatione: Licet quandoque intentionem in errore fundet, ea, jam modo à me dicto, in & cum corpore & ejus particulis copulata anima.

*Fætus jungitur corpori materno ut als peſſit.* Verum etiam eſt nemine contradicente quod fætus corpus cum matris corpore talem habeat communicationem qua mediante ſibi procurat pabulum vel alimentum.

*Et fætus anima animæ maternæ ut percipi poſſit motus.* Sed addo etiam ego taliter etiam combinari amborum animas, ut ſibi compatiantur & hinc ſi matris anima obtriſtei vel delectabilei ſenſati-

 one

o ie afficiatur graviter, fætûs anima compatitur (leves etiam quidem commotiones percipit, ſed cum illarum non tam manifeſta inuſta ſigna occurrant de gravioribus potius agitur) ſed non tam manifeſtè ſaltem & viciſſim matris anima ab anima fætus. Quia illius corpus (nondum ad hoc aptè conformatum vel extenſum) à nullo objecto clarè commovetur aut ſaltem non taliter ut de talibus motibus manifeſta ratione differere poſſit & hinc nec proprio gaudio exultat nec triſti rei externe perditione aliave manifeſta ſenſatione moleſtatur ob membrorum fibrarumque mollitiem, ſitus capacitatem, objecti defectus. Affici autem poteſt fætus (anima ſua propria mediante) matris animæ motibus ob animæ ſuæ perfectiorem & ſummè perfectum gradum, afficiendi agendique potentiam magis perfectam.

*Anima fætus quia quaſi una ad agendum cum matris anima concurrat peccato inquinatur &c.*

Sic anima fætus a parentum animabus procedens cum matris anima quaſi una ad agendum poſt generationis initium conſentit & Adæ pæna fit rea: cum amborum parentum jam ad generationem ſenſualiter concurrentium depravatio & ſenſualitatis complacentia, in inſtanti generationis, ei tam inducitur & in tantum ab Adamo depravatio eſt inducta in quantum anima eſt quid

quid cogitans vel cogitatio cogitante modu ab eo deducta & procedens & hinc peccato in matris utero inquinatur & a matre poſt modum anima mediante ad varia aptatur & depravatur.

*Baptiſſima. Et abluitur.* Quæ anima, Dei bonitate, ex miſericordia procedente, illius inditi ſtigmatis vel peccati inquinamine ſacro baptiſmatis fonte liberatur & abluitur. Et gratia tribuitur talis ut hinc quaſi nova ſcientia imbuta, Dei bonitatem enim & inhibita agnoſcens, illa duce ſimiliora veris ratiociniis & veræ veritati eligat & amplectatur. *Et gratia reſtauratur,* Hæc ſic ſe debere habere ſalvis orthodoxæ fidei decretis putem. Quod ſi non ita ſit. Hæ rationes tranſeant tamquam rationes philoſophico modo ad hæc apte deducenda, productæ. Scio etiam me hæc tamquam ex ſuppoſito proprio tradere potius, quam quod eas ex Theologica & conſueta vel perſpecta, & multis auctoribus, magis uſitata ratiocinandi conſuetudine vel ex *Sacra Scriptura* (quam ea de cauſa non revolvi) collegerim: tamen his non obſtantibus me veritati, proprio marte, quæſitæ conformare, non plane à ratione pono, cum ea proponam tali modo, ut hæc, & varia alia, hinc reddantur magis intelligibilia & ex his veritas multarum etiam aliarum cauſarum abditarum & re-

rum variarum elucidatio tam in philoſophia & Medicina quam Theologia poteſt deduci, multo commodius & aptius perceptui, quam id ab ullo hactenus factitatum putem. Si autem quis me forte felicior, & perſpectior, ſaniores rationes communi bono contribuat, non tam mihi faveo, quin libens mei erroris pænitens & clarioribus rationibus congaudens dextram præbebo. Non tamen tam facilis ero fidei & obſervantiæ,ut me patiar ſeduci vel obligari talibus aliquorum Theologorum poſitionibus, quæ ex philoſophor. aliorum traditis præjudicioſo modo deſumpta ſunt.

*His tamquam veris aſſumptis progrediar,*

Ut autem progrediar ad propoſitum: re, dicto modo, ſe habente, tanta talique animarum convenientia irrefragabili veritate, & ad agendum eodem (ſit modo dicendi venia) inſtigamine conſtante, non erit philoſopho in poſterum difficile, concipere, qui matris animi pathemata, fætui vel initiato & ſubſequituro proli, ad extremum vitæ tempus deplorabili morum perverſitate indita cernimus, & tanto fortius quanto diutius tali animi motui inhæſerit, intellectum animam que ſuam ad cognoſcendum, commovendum agendumque diſpoſuerit. Tanto enim gravius poſt matris animi motus & imagi-

*Concludendo tanto gravius inuri ſigna quanto maiori vi mater ideas tractat,*

maginationes ſigna inuruntur fætui quanta mater majori animi vi & intentivo modo objectorum ideas tractarit.

*Quæ non ita ſibi, quam fætui eſt, nociva.* Non eodem modo ſemper nocet matris imaginatio, proprio corpori; quamquam fibræ & nervi vehementius quandoque contrahantur: quia duriores ſunt & ſolidiores & facilius & minori incommodo ad priſtinum ſtatum reducantur ejus contractæ partes. Non item fætus partes indemne, validas contractiones ſuſtinent & perferunt nam ejus partes molliores & tenerius ſibi cohærentes, fortiori nervarum & fibrarum contractione ſubinde in alienam formam vel figuram convertuntur, vulnerantur, depravantur ad motus; vel facilitatem ad quaſdam actiones, in matris ſuæ utero, accipiunt, poſt modum remanentem.

*Quamquam etiam valida fibrarum tenſione ſibi quandoque nociva ſit.* Non eſt quod quis petet validiſſima fibrarum contractione ſe ipſos fætus lædere non poſſe: nam etiam modo nati & ii quandoque læduntur, quorum partes ſolidiores ſunt: ſic multorum membra poſt graves convulſiones, motu privata ſunt. Sic ſolis ſtellarumque inſpectione aliqui viſum amiſerunt. Sic gravi aliquo ſonitu aliquibus auditoria timphana diſrupta & depravata ſunt.

*Vt ex multis epilepticis & aliis colligendum.* Tanta etiam quando ſub ipſis graviſſimis aliquibus convulſionibus eſt contractio, ut oculorum ſitus in ſemper inde mutatum cernere licuit ſæpius & menbrorum omnium in obverſam partem contractio permanens fuerit ſic in pago . . . . Aſſendelſt nominato vidi puellam tam miro modo contortam, ut caput in obverſam partem inclinaret ut & brachia; ventre inſideret, natibus in altum elevatis; cruribus & pedibus conſequenter contortis, *Ejus mirabile exemplum.* illa enim ſic non fuerat nata: ſed poſt quadrageſimum prius annum ſi recte memini. Sic poſt aliquam & levem convulſionem facta fuit, & quod magis mirandum, diu poſt abſque manifeſto alio ſuæ valetudinis detrimento vixit. Cum ego ei adeſſem, erat modo viginti quatuor annorum, nil agere nec incedere poterat, quamquam & manus & pedes moveret.

*Aliud,* Hagæ comitis, mihi ante paucos dies adfuit mater, conſilium petens, pro filia ſua, immanibus cruciatibus menſium tempore vexata: cui in juventute ſua, Epilepticis & convulſivis motibus aliquo tempore lecto decumbenti, capitis cutis, tribus in locis fuit dilaceratum & diſruptum. Ex his colligat lector quid poteſt fætus teneriori corpori contingere & induci. Sed

*Vt anima fœtus animæ, ſic corpus corpori iungitur & vitia contrahit,*

Sed ut redeam rurſus, ad ea, quæ adhuc de communicatione iſtarum animarum dicenda habeo; ſtatuo, fœtum, non minus *anima animæ*, quam corpore ſuæ matris corpori cohærere & communicare. A matris corpore, mediante inde procedente alimento, morbidam contrahit ſui corporis conſtitutionem: ex variis enim matris animi vitiis, ratione & fide dictante, fœtus nondum natus ſit particeps animi perverſitatis & perditionis. Et ſicut à corpore procedit corpus, ab anima ſit.

*Hinc Adami peccati rea quia intellectualis,*

Nam peccatum Adami & malorum aliorum morum veſtigia non tribuuntur fœtui quia conſtat corpore, matris humoribus alimentato; ſed quia corpore conſtat animato, vel anima informante prædito; quæ omnium actionum intentivorum rea & intelligens eſt. Cum jam etiam parentum vel potius, matris actiones (de quibus etiam loquimur, fœtum nempe ſignantes) ſint rationales intellectuales & intentivæ, à corpore nec dependent nec aguntur, niſi quatenus anima ea agere dicatur & verè agat. Peccat intellectualiter ſenſualiter agens parens. Et hinc intellectuali animæ fœtus imputatur peccatum, quod animæ intelectuali fœtus, a parenti-

bus communicatur, animæ beneficio: illius hoc animæ imputatur peccatum: quia ea conſentit ſic agendo, progrediens ex ea, & modificationem ſuſcipit ad ſenſualiter progrediendum. Cum fætus anima, ſit quid cogitans, à Deo creatum in initio, cujus nos productionem reperimus in tempore; poſt cogitantem motum parentum & corporalem combinationem productam. Ut hoc voluit Deus ejus genitor.

*Et intellectualis à parentibus procedit.*

Ea jam ſic producta fætus anima, cum anima matris quodammodo combinata vel conſentiens, ab ea modificabilis permanet: ſicut corporis rudimenta matris alimento extendenda. Nam animæ matris combinatione, cum anima fætus inchoati perdurante; inchoati fætus anima, ſuſcipit malorum morum initia & facilitates ulteriores percipiendi actionum ab anima matris procedentium: quas facilitates hinc ſolum deducendas concludo, & non ab humoribus, ſympathetica convenientia, aut nervorum communicatione inductas concedam nam tales rationes excogitatæ ſunt, & nimia aliorum obſervantia ſuſceptæ & multorum perverſa erga prædeceſſores reverentia ſuſtentatæ & defenſæ: Etiam hinc & non aliunde eſt quod

*Et cum matris anima combinata permanet intelligendo.*

quod varii animæ effectus ipſis humoribus hactenus attributi ſint. Ego enim minimè hoc permittendum cenſeo quod adſcribantur humoribus actiones aut potentiæ quæ ſubito fætus corporis partes dilacerant aut in aliam figuram commutent ita ut ipſi ſint principale agens per ſe ad quod elucidandum nec verior nec clarior ratio aſſignari poterit, quam, quod anima fætus cum anima matris communicet: eaque quæ potens eſt agere, agere dicatur..

*Hinc eadem percipit & meditatur fœtus quæ mater.*

Hinc concludo, eo temporis momento, quo mater agat corporis ſui fibris (ut ante ſæpius dixi) & quædam obſervando, illas fibras ita contrahit, ac ſi eas, in ſimilem à ſe meditatam formam, vellet contrahere, vel ac ſi eas ſuperficialiter (ut ante innui) ad tangendum vel avertendum talem ſuperficiem, diſponeret: etiam ipſum fætum vel ejus potius animam idem meditari & concipiendo matris animi meditationes, eas ſequens, partes ſui corporis molliores, fluidiores & facilius loco mobiles & ſaparabiles in aliam & rei conſideratæ vel meditatæ ſimilem figuram mutat. Vel quandoque tam

*Et partibus ſui corporis obeſt.*

fortiter fibras contrahit; ut vel diſrumpantur vel alio modo vitientur; ut artus diſlocentur, mutilentur; ut curvis & minus longis mem-

membris vel articulis ſe poſt partum præbant viſibilem & maneat; poſt quam mater gravida, ſe re aliqua alliſerit, poſtquam cæſa aut lapſa aut aliqua alia ſimili cauſa turbata fuerit & fibras menbraque affecta magis aut minus contraxerit.

*In quo alienas figuras commutat eas.* Sic etiam fætus alicui ſui parti, vel pluribus quandoque ſimul partibus, alterius alicujus animalis partium figuram inducit, non alio modo, nec aliam ob cauſam, quam quia mater partes ſui corporis, mediantibus fibris, ita contrahere conatur, ac ſi eas, in ſimilem, aliorum animalium partium, conformare vel ad uſus ſimiles aptare vellet. Nam ſic & nos quandoque, aliquas noſtri corporis partes contrahimus ut alterius alicujus rei figuram aut aliqualitatem exhibeant aut exhibere illas meditemur. Ita & prægnans mater ſubſequente fætui talis figura poſt permanens facilius inducitur, ob partium majorem mollitiem & particularum ejus, facilius loco mobilium, minorem reſiſtentiam; & ob partium & fibrarum, non tantum faciliorem contractionem & ob ſuper additaturam iis, adhuc ulteriorem (ad ſimilitatem majorem extenſionem & adhuc inducibilem cum extenſione ſimul ſoliditatem majorem. Quæ hinc ſi, anima mediante, extenſæ partes, particularum ſimul appoſitione

one & interpoſitione ; tunc ſuccedente ſic manere coguntur. Non quod anima ſic formet ſed quod ſic tenſis fibris humorum continuo appulſu & pro particularum multarum appoſitione & interpoſitione ſic excreſcendo ſolideſcant.

*Et ſic concreta permanent.*

Hinc colligendum minimè partes fœtus ſic excreſcere vel creſcere quia fœtus anima eas partes ſuas contrahit: niſi humorum appoſitione interpoſitione & adhæſione ſuccedente excreſcunt & ſoliditatem acquirunt. Noſcit ideas matris fœtus, & ab objectis matris animam commoventibus, ad ſimiles quaſdam actiones animique pathemata diſponitur: Et cum mater conceptas ideas fortius cerebro imprimat corpuſque ad varia diſponat idem graviori ſubſequente quandoque damno; utero in cluſus fœtus, mollioribus conſtans partibus facit: ita ut agens ad ſignandum, ſit corpus animatum ipſius fœtus. Et anima principale agens partes contrahens ut humoribus inter interſtia detur locus remanendi.

*Et anima fœtus ipſe agere dici poteſt.*

Duplicem ſtatui monſtri cauſam, non ut quod ſed quo, nempe ſiquid decentem materiæ expanſionem impediat; aut animam à conſueto munere revocet. Primo modo etiam in brutis

*Non ut quod ſed quo mediante tamquam cauſa extendi ſic debet humorum appoſitione,*

brutis fiunt monſtroſi partus: quia materia vel rudimenta ſe expandere impediuntur, vel in aliam formam (ut in monſtrum excreſcant) coguntur.

Quæ rurſus dupliciter conſiderari poteſt, vel ſi res aliqua fætui ab externo adjacens decentem expanſionem impediat: vel cum ob internum aliquod humoris, arteriarum aut venarum, nervorum fibrarumque aut ob aliud ſimile vitium, pars vel partes alimonia (aut pro parte, aut in totum) deſtituantur aut conſueto modo, non extendantur; ita ut monſtroſæ fiant, partes vel eæ integræ quandoque deſint.

*Monſtroſi partus quales nunquam in brutis licuit experiri.*

Reſtant ad huc aliqua, de alia (nunquam animalibus; ſed ſoli homini propria) monſtroſi partus cauſa, exponenda; cujus effectus ſimiles nunquam in brutis (ſed ſoli homini) lucuit experiri, nam quis unquam vidit cæterorum animalium fætus recenter truncatis membris, partibus, ſanguine madentibus progredi? Ut humano fætui contigiſſe ſæpius viſum fuit: quis unquam vidit partus aliorum animalium præmaturos, ſolo terrore, ira, aliave de cauſa ſimili procreatos: ſi abſit motus, caſus, aut aliud quid externum violentum, ut poſt animi graves motus con-

*Prodeunt truncatis membris.*

tingere

tingere mulieribus vel hominibus, noto eſt notius, a quibus etiam ſolis partus eduntur truncatis quibuſdam partibus, truncis ad huc cruentatis vel ſanguine madentibus.

*Partus animi motus ſequuntur in ſolis hominibus.*

Nonne etiam ſolæ mulieres gravidationis tempore commiſerantes nimium aliorum miſeriis? Nonne ſi terrore percutiantur, videntes aliorum hominum partes vel læſas vel male conformatas? Nonne ſi ingratarum rerum aſpectu vexentur? Nonne ſi gratarum & deſideratarum deſtituantur quandoque fætibus manifeſta inducunt (ut dicitur) ſtigmatha, partusque accelerantur. Quæ omnia animalibus brutis contigiſſe aut contingere non expoſuit hactenus quiſquam aliqua probabili ratione.

Reſtat ut modum quo id contingere, ſit probabile, exponam: quodque pau-

*Rationes paucis & alibi latius tradam.*

cis efficiam; alibi longiori diſſertatione (& magis ad medicinam & Chirurgiam concernentibus rationibus, facturus.

*Quid commiſerantes in corpore noſtro experire poſſimus.*

Scimus enim omnes, qui nos graviter aliquem vulnerari videntes, tantum non commiſeramur ſed etiam in noſtrometipſius corpore, eo loci vel iis in partibus (vel aliquando etiam in aliis,

 ſi

ſi imaginatus inde conceptus confluat ad totum corpus, vel eam forte partem rei viſæ magis proximam retrahendam aut conſervandam vel eo momento in opere aut actione vel contiguam conſervatam) ubi aliorum corporibus infligi aut inflicta vulnera videmus, titillationem & dolorem cum averſione ſentimus & quaſi omnes cæteras corporis noſtri partes eo loci retrahimus aut eas ibidem contrahimus.

*Dum alios videmus vulnerari.*

*(An nobis ſit innata quædam inclinatio ad corporis conſervationem.)*

„Non poſſum me continere quin aliquid hic influere ſinam, & reprehendam communem aliquam receptiſſimam opinionem (quod & variis viris doctis ſcribens feci) eam nempe: quæ nos multa agere alicujus naturæ inſtinctu (qualis etiam herbis & brutis ineſſet) quæ ad ſui conſervationem intenta, abhorreret à nocivis. Hinc & non aliunde eſſet, quod caſum minantes in adverſam partem corpus inclinant. Et hinc & non aliunde eſſet, quod ſi quis alio propinquior elevatam manum declinaret, ac ſi alterius oculos verberare vellet (quamquam ſciat illum hoc minime facturum) vix poſſet ſe a nictitatione oculorum continere. Dicunt: talis ſcit ſe nil mali inde paſſurum, & tamen illa natura, in illo quaſi

„ſol-

„ ſollicita, à malo & ſui perditione ab-
„ horrens, partes quibus aliquid mali im-
„ minere ſcit aut putant contrahit (talem &
„ ſimilem naturam tribuunt brutis & her-
„ bis & rebus variis quæ manifeſta aliqua
„ cauſa agunt & agitantur) ſed peto à talis
„ naturæ cultoribus, an illa natura, mo-
„ do dicto ſe habens, non poſſet ratione
„ vinci & diverti, ſaltem in hominibus.
„ Abſque dubio reſpondebunt, quod poſ-
„ ſet ea devinci, & ejus defectus ratione
„ duci & regi: Ita ut ſaltem partes conti-
„ neret quietiores is cui conſtat ſublatam
„ imminentis mali, vel minantis periculi,
„ cauſam. Hinc neceſſario tunc ſequere-
„ tur, potius ſcientem ratione munitum
„ & expertem aliquem ſeniorem, quam
„ recentem natum infantem (qui illius aut
„ ſimilis mali non habet experientiam)
„ à nictitatione ſe retenturum (nam recens
„ natus infans eſt majori de cauſa poteſtati
„ talis naturæ ſubjectus, quia ratione ſu-
„ peraddita ejus defectus non ſuſtentatur
„ aut regitur) quod tamen falſum quiſquis
„ reperiet, nam non nictitabunt infantes
„ niſi habeant illius aut ſimilis alicujus ta-
„ litatis experientiam. Scio quid de bru-
„ tis objicere poſſent hæc nondum aptè
„ percipientes, ſed peculiari diſſertatione
„ rationes etiam exquiſitiſſimas ad contra-
„ rium probandum adductas fumo facilius
„ faciam evaneſcere.

,, Non vitrum á fractione, nec herba à
,, baculo exitium ſibi minante ſe conſervat.
,, Omnes enim tales actiones veræ ratio-
,, nabilitatis eſſent indicia. Homo enim
,, habens boni & mali experientiam, ocu-
,, lis appropinquantis manus malum mina-
,, tum nictitatione fugit aut avertere ten-
,, tat: quandoque tam intentive ut magis
,, ex improviſo & aliud intimius animo
,, moliens, reclinato & retracto toto ca-
,, pite & corpore id facere tentat. Si jam
,, ulterius dicant vel petant, quare ſciens,
,, ſe non contineat, exuto alicujus mali
,, minantis timore? Reſpondeo nullas eſſe
,, corporis humani partes, tam facile mo-
,, mobiles, quam oculum & auris tim-
,, phanum auditorium & hinc citius & ve-
,, locius & facilius commoventur & mo-
,, ventur & animæ effectus varios com-
,, municant & ad agendum diſponuntur,
,, quam cęteræ partes humani corporis
,, quæ minus perfecto modo & tardius ani-
,, mæ objecta deferunt, & gravius & tar-
,, dius ad agendum diſponuntur: & hinc
,, eſt quod adventantis & minantis manus
,, adventum difficilius (licet nil ſit inde
,, timendum) ſine nictitatione oculorum
,, aut partium iis junctarum, quam ſine
,, capitis totiusque corporis retractione
,, expectat. Præterea anima humana nil
,, niſi intentive agit & non poteſt non eſſe
,, in-

„ intelligens & ſentiens (aptatis inſtru-
„ mentis, & hinc non poteſt non eſſe ob-
„ ſervans ſuorum organorum motitatio-
„ nes. Cum jam anima ſciat elevatam &
„ appropinquantem manum ſibi non fore
„ nocivam, illud peculiaribus fibris man-
„ dat conſervandum (id eſt memoriæ) quas
„ recolligens, memoriæ mandatum quod
„ eſt, habet præſens (ſciat lector animam
„ humanam corpori junctam non niſi unam
„ rem ſimul in eodem inſtanti intenti vo
„ modo adoriri poſſe) cum ergo anima
„ jam intentivo modo intuetur adventan-
„ tem & minantem manum, non tam
„ ſubito eſt ſui erroris conſcia, ut poſſet
„ ſe à nictitatione oculorum contigere
„ ad quam paratiores habet oculos, &
„ partes illos tegentes, antequam fibras
„ memoriæ deſtinatas conſulit, quas ta-
„ men citius conſulit quam totum caput
„ & corpus retrahit; cujus in ſe quiſque
„ ſentire poteſt, etiam jam retractionem
„ incipere vel incepiſſe, ſi ob tale quid
„ oculorum nictitatio ſequatur: non au-
„ tem ſemper: ut cum corpus intentive
„ non velit quis movere, quod eſt faci-
„ lius, uti dictum, vel cum ex præmedi-
„ tato oculis tantum velit nictitare. Poſſet
„ ſe tamen facilius à nictitatione conſer-
„ vare ſi intentive ſe diſponeret ac ſi ma-
„ num non vellet obſervare, ſed quid

„ aliud (à quo diſtrahi non vult) meditare-
„ tur fortiori fibrarum intenſione. De his
„ hoc loco ſatis quamquam illa admiſſa &
„ fictæ potentiæ natura ejuſque excogitati
„ effectus tam nocivi latiore deductione
„ egeant, cum pervertant philoſophicas ve-
„ ritates, medicas rationes & experientias,
„ unde rurſus in Theologiam tam erroneæ
„ poſitiones invectæ ſunt, ut difficilitatem,
„ in variis ſacrarum litterarum locis aptè
„ deducendis, non minimam pariant.
„ illa igitur inclinatio experientia inducta
„ & non innata eſt.

Ut igitur redeam a ficta natura & ejus effectu ad ſaniores rationes. Quæ corporis humani miſerantis contractio vel voluntaria aut intentivo modo inducta diſpoſitio (ut alibi demonſtraturus ſum) adultioribus & durioribus corporibus cum non ſemper obſit, tamen multis de cauſis & ſæpius obſit. Nam oculorum vitiis facile & ſæpius laborantes alios ſimilibus oculorum vitiis laborantes vix aſpicit ſine incommodo aut ſine lachrimarum ſubſequente emiſſione. nullam ſane aliam obcauſam quam quod de circumſtantiis partium oculis vicinarum meditantes, variam & talem contractionem induci ſuo corpori, quæ potis eſt, tale quid in corpore proprio cauſare. Et ſic in multis aliis morbis.

*Vel morbo alquo affectos quid fiat in nobis.*

At

*Graviora inde fiant fœtui.* At tenellum fœtus corpuſculum contractiones vel fortes retractiones in corpore ſuo intentans (ut durior matris ſuæ corporea ſubſtantia, cujus intentiones & meditationes ſcit) non fert tam indemne: ſed teneriùs ſibi adhærentes illius corporis particulæ faciliùs loco mobiles, dilacerantur ab invicem, aut ita contrahuntur ut vaſa iſtius loci redduntur inepta, & alimentum ultra contractum locum non patiantur excurrere vel deduci hinc membrum non excreſſit aut quandoque ultra contractum locum delatos & confluentes humores nutrioni & expanſioni illarum partium aut particularum deſtinatos vel aptos in motu conſueto immutant perque alias vias redire, diutius commorari, citius progredi adque partes incertas refluere cogant, nervoſarum illarum particularum beneficio, quibus venæ & arteriæ & aliquæ particulæ partem aliquam manifeſtam integrantes dotatæ ſint, quibuſque anima uti poteſt: Hinc membrum exſiccatur & marceſſit & evaneſcit.

*Membra non excreſcunt.*

*Ex ſiccantur & evaneſcunt.*

*Quare illa nos non poſſimus.* Sicut non impugnat mihi quod ſimiles multæ ad tale quid neceſſariæ contractiones & retractiones cum tabidus conſequentiis ſenioribus aliquibus appareant impoſſibiliores

liores & quædam plane impoſſibiles; quia corpora ſunt duriora & difficiliora & diſſueta vel nunquam uſitata tales aut ſimiles contractiones. Sufficit mihi quod de monſtrare valeam, (ut albi etiam facturus ſum) nos motitationibus variis, varias tales actiones in corpore noſtro efficere valere, quarum (cum certa & determinata voluntate eas efficere non ſumus ſoliciti) vix recordamur, aut cujus noſtræ potentiæ nil conſtat menti; quia aliarum actionum aut poteſtatum experientiis imbuti eas neglex imus ex poteſtate præſcia exercere; quamquam eas aut talium aliquas aut vitiatis quibuſdam aliis, ad actiones, partibus inopinato objecto occurrente, nobis licet aliud molientibus, exerceamur. Sic ſurdi motitationes oris obſervant & oculis audiunt ſic, cæcus digitis videt: qualia plura diſſertatione peculiari de ſenſibus licet videre.

*Multa caſu aut uſu addiſcimus quæ alias impoſſibilia appareant.*

*Sic cæci vident ſurdi audiunt.*

*Quomodo fiat ut fœtui deſit & demi poſſit aliqua pars.*

Ut jam exponam, qui contingere poteſt ut fœtus naſcatur, cui deeſt, aut pes aut manus recenter quaſi abſciſſus, trunco ſanguine madente: non apparente & evanida, ſeparata parte. Mente revolvendum eſt, qui quaſi ex inviſibili rudimenti exiguitate, deducti ſumus ad

gran-

grande noſtrum corpus, ſola particularum fluidarum, inter interſtitia repoſitione vel appoſitione cordis fibrarumque contractione tamquam ab efficiente cauſa, quaqua verſum pulſarum & delatarum.

*Quare non extendatur aut excreſcat pars.* Illo poſito revolvendum eſt, qui anima fœtus, matris anima, inducta ad ſcientiam & eundem intentivum motum, corpuſculi ſui quandam partem retrahere & contraheere poteſt, retrahat & contrahat; ut contractæ maneant aut ita vitientur ut ſucco alimentitio impedito, exterior pars vel partes marſeſcat, quæ hinc ulterius non extendatur aut creſcat. Quod ſi contingerit primis imprægnationis diebus, cum vix aut plane non viſibiles ſunt tales partes excreſcunt fœtus (eo poſito) ac ſi nunquam illius habuiſſet ad extendum aliquam ſimilitudinem aut initium ſi fœtus nil ominus ulterius ad majorem maturitatem vel ad grandiuſculam corporis extenſionem devenerit, & tale quid contigerit

*Quare paralitica aut emaciata cernitur.* vero circa ultimos imprægnationis dies, eam partem æquè benè extenſam, ſed paralyticam cernimus &c.

Hæc quidem ab aliquibus facilem conſenſum accipient: ſed ego ulterius progredior: addendo, etiam valida aliqua contractione ſimili ſuccum in aliqua parte, ut

in

in manu aut pede, modo repoſitum vel adhærentem diſſociari, loco moveri & per vaſa quædam repelli poſſe ita ut tum pars fiat minor, aut planè ulterius continuata fibrarum contractione ad invifibilitatem reducatur & evaneſcat. Vel emoriens ſeparetur & evaneſcat. Ut partes gangrena affectæ ſolent & ad liquidam conſiſtentiam redeant.

*Quomodo realiter fiat minor aut planè evaneſcat.*

*Quomodo truncus remaneat cruentatus.*

Si jam pars aliqua (poſito manus ſit) ad inviſibilitatem redeat vel mortua non excreſcat, ſit minor trunco illo remanente (poteſt autem contractio aliqua ita contingere, quæ tam rectim & transverſim partem aliquam afficit, ac ſi cultro eam abſcindere ſentiremus, ut ſæpe experiuntur multi poſt validam pedum extenſionem ſpaſmo tentati, dum in lecto dorſo incumbant; ut poſtea tranſverſim in diverſis muſculis, ſenſitivus & manifeſtus dolor, ad diutius tempus remaneat) hinc extremitas remanentis trunci, ab ea quaſi multis in locis, præſertim facilius ſeparabilibus prius, & ſic tandem in multis dilaceretur & humorum appulſu ſeparatur, non aliter ac caro mortua ſeparatur.

*Quomodo trunco cicatrice tecta prodeat.*

Quod ſi fiat illis temporibus, cum fætus tali ſitu non locetur ut doloris impatiens ſibi

ſibi clauſtra frangere poteſt; aut matrem moleſti aliqua corporis jactatione non ſolicitat ad partum; ſed intus remaneat: illud vulnus cicatrice clauditur & habet ſe truncus poſt nativitatem ac nil ultra fuiſſet extenſum. Et pars ſeparata reſolvi & ad humiditatem reduci, & ut ſum expertus abſque ullo fætore, licet pars putreſcat.

*Non apparet dempta manus;* Si autem fætus ſibi clauſtra frangat & valida corporis jactatione matrem ad partum ſolicitet, & partus ſequatur, enixo fætui demptam manum cernimus, & ejus truncum cruentatum conſpicimus, non apparente & evanida parte reſtante. Modo jam ſatis propoſito ad nihilum vel inviſibilem exiguitatem redacta vel reducta,

*Superflua pars appendens veram fætuum combinationem ſignificat.* Reſtat ut etiam aliqua de iis, quos cernimus appendicibus naſci talibus, ut veris partibus & artubus non tantum ſint habendæ ſimiles accretiones; ſed potius reales tales concretiones & binati fætus: cujus unius corporis aut paucæ aut una tantum pars manifeſte extenſa eſt; cum cæterarum aut rudem aliquam congeriem; alibi intra cutem aut ipſi quandoque internis viſceribus conſpicere mihi licuit ſæpius.

Anno præterito, monſtrum ovinum ſeptem

*De monſtro ſeptem pedes habente.* ſeptem pedes habentem, examinans, vidi, & variis demonſtravi qui non monſtroſus erat & unus fœtus: ſed bini coaduniti vel coadunati, uno omnibus partibus exacte conformatis vel potius extenſis; & altero ei adnato vel adunito: cujus pedes poſteriores & clunes bene conformati vel extenſi infra umbilicum alterius appendebant, uno anteriore, minus bene extenſo applicata altius circa coſtas.

*Quare non ſuper vixerit.* At quamquam viveret agnus, perque ſtabulum diſcurreret prædixi, moriturum: quia partes appendentes frigidiores reperiebam: dicens partes illas, eſſe partes imperfecti & non extenſi alicujus agni adnati illumque vel partes appendentes illius, per vaſa umbilicalia & forte quædam alia, ab agno vivido in ove fuiſſe alimentatum: at jam umbilicali alimento deſtituto, partibus appendentibus aut non ſufficere alimentum, per coadunitas partes utriuſque agni ad eas appendentes partes delatum, ut circulatio poſſit continuari: Et humorem depravatum ad vividiorem deferri, indeque illum moriturum dixi. Quem mortuum juſſi ad me deferrent, examinandum, quod eo tertio die mortuo fecerunt.

At tum clare videre potui, qui quarundam partium non apparentium manifeſtæ

*Comortuo clare videre potui eſſe bini-tos & coadu-nitos.*

feſtæ licet exiguæ particulæ vaſorumque ingens congeries, cerebri internarumque partium manifeſta licet exigua ſigna adeſſent (locatæ intra muſculos abdominis vividioris agni quoque, etiam erant paululum tenuiores ſubſtantiæ) ſed propter compreſſionem aliquarum particularum aut valorum (ad minus apparentes partes confluentium) quæ minus apparentes ad extenſionem debitam cum non pervenerunt, monſtroſus factus eſt agnus.

*Communiori magis loquendi modo,*

Non loquor, ac ſi Dei omnipotentia in prima rerum origine quædam ita conformare non potuiſſet ut ex iis minus uſitatata corpora ex rerum ordine, in tempore produci non poſſent: ſed quatenus ad conſuetudinem, magis ſimili modo, quædam quaſi caſu jungi poſſent & jungerentur Deo etiam volente, quæ, quo ad omnes aut varias circumſtantias ea deducta ſunt ut varii aut bini inde fieri potuiſſent: Et hinc coaduniti dici poſſint. Sed ſic loquor quia talis loquendi, de eo, modus, ad communem modum propius accedat: Et quatenus non ex prima aliqua materia ad Monſtra a Deo deducta ſunt: Sed quatenus ex groſſiori & nobis magis notiori materia, & modo magis perceptibili, ſic facti ſunt intempore & ex materia pro bi-

N nis

nis poſſe deſtinari poſſibiliori & perceptibiliori magis modo dicenda.

*Quomodo coadunitifacti ſint vel fiant.*

Statuo eos adunitos factos eſſe: quia ſibi incumbentes, partibus tangentibus viſcidioribus factis, invicem quodammodo adhærere incipientibus, ibidem poros ſervant (vel fiunt ibidem) magis aperta vaſorum & fibrarum interſtitia & extremitates, ut inter extendendum ibi tranſſudans humor in viſcido illo humore ſibi cavos faciat quoſque pertranſiens, ad alterius ſibi incumbentis vel accumbentis perforat, ut ſuccedenti ſimili tenuiori humori ſubſequenti faciat vel præparet viam. Interim in viſcido quædam particulæ intimius junctæ, adhærentes, ſoliditatem acquirunt, & ſanguini tandem (loci capacitate latius diducta) parant vias tales, ut

*Quando & quomodo ſupervivere poſſent.*

una circulatio quandoque etiam poſtmodum ſufficiat quamquam rarius binis ſic coniunctis particulis. Partes adhærentis ſecundi fœtus, per vaſa umbilicalia in utero ſuæ matris, adhuc incluſi ſi etiam alimentantur, jam alimento eo poſt partum deſtituto, adnatus (cui præcipua reſpirationis, chilificationis jam organa deſunt) moritur: unde ob cauſam ante memoratam etiam ulterior extenſus moritur.

Sic vero valde exigua & una tantum pars

(car-

cæteris quaſi non extenſis) adhæreat, & ita fabricata & unita in utero, ut una tantum circulatione vixerit, & ſanguis ad eam vehatur & reduces vias vel venas & lymphatica habeat ſic ut non propria, ſed aliena, vita vivat, quo ad corpus vel corporis ſui partes extenſas poteſt ſuper vivere.

Quomodo autem ſe habeat tum anima cogitans ſecundi & adnati: an ſit quaſi cogitatum non cogitans bonum vel malum pro hoc & futuro ſeculo, de eo, quo ad mihi licet, poſtea agam.

*Quando & quomodo non.* Habes hic jam quare binati non ſemper & rarius ſuper vivant partum. Nempe quia imperfectius extenſus per vaſa umbilicalia, facilius ad tantam conformationem duci potuerit matris ſuæ utero incluſus (adiuvante etiam ſucco à fortiori, & magis bene conformato fætu, per os aſſumpto, perque vaſa combinationis communicato) quam in vel poſt partum, cum ille minus perfectus alimento deſtitutus vel non reſpirans, vel alia aliqua de cauſa, habens partes aliquas neceſſarias imperfectiores, vel iis carens, in vel poſt partum moritur: altero cui adhæret ſubſequente & etiam moriente: vel quia ſuccum minus laudabilem ab adnato vel adnato circumjacentibus partibus ſui ipſius corporis (quæque etiam multis modis male conformatæ & vitiatæ ſunt) reci-

piat, vel diutius ſolito in partu hæſerit aut hæreat, vel quia natus etiam habeat partes quæ umbilicalibus vaſis deſtitutæ, & minus, ad vitam aptatæ, jam moriuntur, ſubſequente toto corpore.

*Quomodo pes genu clunibus.*

Contingit enim aliquando ut fætus naſcatur cui de eſt (poſito) crus cujus nil omnino eſt viſibile; aut ejus quandoque pars eo loci conſtituatur ubi nates videmus: vel alteri pedi adnatum cernimus. Qui mirabilis modus nullo negotio explicari poterit niſi concipiatur quod antequam ab vel ex exigua aliqua exiguitate aut rudimento producatur initium fætus, ad grande aliquod corpus pedes non longe & nullo viſibili ſpatio diſtent ab invicem vel à natibus vel ab aliis coporis partibus. Poſito jam crus & pars infra clunes & extremitatem illam pedis. Quodammodo non excreſcit, natibus adhærebit pes. Si etiam aliquid eo loci, ubi crus natibus tum jungitur, non extendatur pedi alterius cruris adhærebit: Et eo inter extendendum longius à clunibus decedente etiam affixa alterius pedis pars eo procedit & tantum dici poteſt diſtare à pede alterius quantum in initio in exiguitate circumſcribi poterat ſpatium diſtantiæ unius pedis ab altero.

*Aut alsi pedi adhæret & adnaſcatur ita ut crus & cætera non appareant.*

En

En Vir celeberrime & exercitatiſſime conſiderationes, opiniones & animadverſiones quaſdam meas, raptim ex cerebro erutæ, quas diſſertationis modo ſub epiſtolica forma congeſſi, ut eruditæ tuæ cenſuræ exponerem. Plus enim curioſorum animis quam praxi conferunt: quas publicè eruditorum examini ſubjicere nolui niſi prius quid de iis ſeutias exte reſcieram. Peto interim ſerena fronte occurre his ſynceræ manus & mentis ſignis. Officioſe deferam quod decet

*Celeberrimi & exercitatiſſimi*
*Domini*

Servum Humillimum

DIONISIUM vander STERRE.

Chirurg. & Med, Doctorem.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIE
V
X